


4

DE
BIBLIOTHECARIIS ALEXANDRINIS
QUI FERUNTUR PRIMIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE ROSTOCHIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS BUSCH

SUERINENSIS

MC

SUERINI MEGALOPOLITANORUM

TYPIS E. HERBERGERI

MDCCCLXXXIV.

Referent: **F. Leo.**

Post Ritschelium virum immortalem aliosque, qui nec pauci neque obscuri de bibliotheca Alexandrina eiusque custodibus commentati sunt, ut tiro adhuc atque ignobilis hanc quaestionem omnium difficillimam denuo retractaturus sim, eam ad rem non sum adductus ardore quodam iuvenili, quo quae vir ille praeclarissimus licet sagaciter at non prospere inquisierit castigare atque obtrectationi irrisionique ea mandare voluerim. neque vero ultro studia mea ad has quaestiones direxi, sed Georgius Kaibelius, olim Rostochiensis, nunc Gryphiswaldensis, cum et in scholis suis nec non in seminario philologico et privatim nonnulla mecum communicaret, quae de tota aetatis illius chronologia sentiret, animum meum haud invitum ad haec studia allexit. atque easdem atque illi viro praestantissimo gratias debeo Friderico Leoni eique semper me sentiam devinctum, qui oranti mihi benignissime liberalissimeque et viam atque rationem ostendit, qua hanc quaestionem bene expedirem, et omnino, ubi dubius fui, consilio suo me adiuvit.

Libere ipse confiteor non omnia ita me indagare potuisse, ut in re tam gravi opus videtur. id quidem fortassis non in homine, sed in re paene desperata ponendum est. attamen cum quaedam rectius intellexisse explorasse enucleavisse mihi videar, haec ut aliis ulterius progrediendi potestatem faciant doctorum iudicio iam expono.

De Zenodoto.

Bibliothecae primum custodem Zenodotum fuisse constat hodie inter doctos, quamquam Suidae verba, quibus hac in re solis nitimur, non sunt talia, ut dubitationes omnes auferantur. [1]) tam enim sunt rara et incerta et inter se discrepantia omnia, quae de bibliothecae fundatione in memoriam nostram venerunt, ut omnibus quas adhuc

---

[1]) Suid s. v. Ζηνόδοτος Ἐφέσιος· ἐποποιὸς καὶ γραμματικός, μαθητὴς τοῦ Φιλητᾶ, ἐπὶ Πτολεμαίου γεγονὼς τοῦ πρώτου, ὃς καὶ πρῶτος τῶν Ὁμήρου διορθωτὴς ἐγένετο καὶ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βιβλιοθηκῶν προὔστη καὶ τοὺς παῖδας Πτολεμαίου ἐπαίδευσεν.

protulerunt viri docti sententiis praetermissis optimum mihi visum sit brevissime sententiam meam, quae proxime accedit Ritschelianae, exponere. certum fundationis annum neque constitui posse a nobis neque veteribus ipsis notum fuisse ex fontium discrepantia vel potius silentio recte concludas. neque etiam certo anno condita est bibliotheca, sed paulatim libri Alexandreae congesti sunt, id quod esse coeptum iam a Ptolemaeo Sotere[2]) ex illius cum Demetrio isto Phalereo, quem librorum fuisse amicum litterarumque fautorem vel ardentissimum satis notum est, consuetudine ac familiaritate cum veri quadam similitudine contendi potest. Philadelphus ‹rex ille philosophis affectissimus et ceteris omnibus auctoribus claris› (Schol. Plaut.), quod pater bene inceperat, id non modo continuavit atque amplificavit, sed viros quoque instituit, qui libros in ordinem redigerent.

Tamen cavendum, ne praepropere his ipsis viris titulum bibliothecariorum impertiamur. haec enim valere debet sententia Philadelphum primo ipso tempore viros multos vel, si mavis, paucos ad aulam suam convocasse, quibus nihil praeceptum erat nisi ut librorum eam collocationem instituerent atque dispositionem, quae hominibus litteratis regique ipsi utilitati esset. qui tum in aula una fuerunt eorum nomina celeberrima[3]) servata sunt Zenodoti Alexandri Lycophronis, quorum primus in epicis, alter in tragicis, tertius in comicis artem criticam exercuerunt. sed primo neminem ex tribus his praepositum fuisse collegis duobus quod opinor, ne ea quidem re refellor, quod ex illis Zenodotus solus et a Suida et a Tzetza bibliothecarius vocatur. nam ita hoc munus esse ortum Zenodotoque commissum putandum est, ut in tanta librorum copia, quae magis magisque accrevit, opus visum sit regi ad unum hominem curam quandam deferre superiorem, a quo ceteri in bibliotheca occupati penderent. huic muneri destinatus est Zenodotus, qui cum apud regem, ut infra uberius exponam, in gratia summa versabatur, tum in illum poetam inquisivit, qui omnium rex et princeps semper habitus est. cuius quanta admiratio illa aetate

---

[2]) Scriptores ecclesiasticos, apud quos omnes fere de bibliotheca loci extant, ob eam rem tam saepe Philadelphi ut bibliothecae fundatoris nomen afferre arbitror, quod ille rex, qui libros sacros graece vertendos curaverat, notissimus eis erat, ita ut etiam bibliothecae ipsius originem ad hunc revocandam censerent.

[3]) Haec sola tradita sunt. at procul dubio plures in bibliotheca viri libris operam navarunt, ut loco Tzetzae, quem infra ubi de Callimacho agetur ponam, patet. iure ipse Ritschelius miratur, quod poetae Graeci criticos suos et emendatores receperint, scriptores pedestres eis caruisse videantur. at utut statuitur de silentio quod versatur de hac re, argumentum ex illo non est sumendum.

fuerit si amplius exponere vellem, omnibus notissima proferenda essent; haec vero admiratio ipsa atque auctoritas, quam res habuit, ad hominem translata est, qui in Homero eiusque interpretatione provinciam suam collocaverat. an casu factum esse censes, ut inter primos qui fuerunt bibliothecarios tres summa sua studia ad Homerum direxerint Zenodotus Aristophanes Aristarchus, unus Eratosthenes excipiendus videatur?

Quo anno illa cura delata sit ad Zenodotum, id statuere neque volo neque valeo, cum nonnullis demum annis post imperium a Philadelpho susceptum hunc titulum eum accepisse eis quae supra commemoravi eluceat.[4] sed quaerendum, quo natus sit Zenodotus anno, quem ut certioribus terminis adumbremus, ad vaga et vacillantia Suidae verba confugiamus oportet, qui Zenodotum μαθητὴν τοῦ Φιλητᾶ vocat. tamen ne nimium pondus verbo μαθητής tribuamus, impedimur hac voce ipsa, quae saepissime eam tantum habet vim, ut affinitas vel consuetudo quaedam, quae inter homines quosdam intercesserit, sive quam intercessisse biographi arbitrati sunt, intellegenda sit. Philetas ἦν ἐπί τε Φιλίππου καὶ Ἀλεξάνδρου (Suid.), ut ante ol. 111 (336 a. Chr.) eum natum esse perspicuum sit. decessit praematura morte abreptus (cf. Couat. l. l. pg. 35), annum ipsum non accepimus. sed ante ol. 127 (272 a. Chr.) mortuum eum esse eam ob rem concludas, quod Theocritus hoc tempore vel paulo ante Thalysia scripsit,[5] Co in insula Philetae patria ipse tempus quoddam versatus. hoc in carmine inter alios Philetas ipse celebratur quasi poeta talis, qualem aequiperare non possit auctor atque, quod gravius est, vocatur nomine suo. cum autem is Alexandrinis mos fuerit, ut poetas adhuc vivos non nomine proprio appellarent, sed ficto quodam uti mallent, ex hac re Kaibelius concludendum existimavit aetate Thalysiorum Philetam vivis non iam interfuisse. quod tantum abest ut improbabile mihi videatur ut contra ex commemorationis illius ratione obitum non multo ante carmen ipsum ponendum esse statuam. itaque cum Thalysia post ol. 127 scripta esse non possint, Philetas circa ol. 126 (276 a. Chr.) decesserit

---

[4]) Ritschelius (opp. I. pag. 73) bibliothecae fundationem et initium Zenodoti βιβλιοφυλακίας in ol. $\frac{124}{125}$ ponit. in plerisque cum Ritschelio consentit Couatius (La poésie alexandrine sous les trois premiers Ptolemées, Paris. 1882, pg. 34). Seemannus (De primis sex bibliothecae Alexandrinae custodibus, progr. gymn. Essens. 1858, pg. 10) ab ol. 122 bibliothecarium fuisse Zenodotum statuit. — Seemanni libellum diu sed frustra a me desideratum tandem oranti mihi benigne auctor ipse misit, cui hac data occasione gratias ago quam maximas.

[5]) Uberius de Thalysiis disputabitur in ea dissertationis parte, qua de Apollonio agetur.

opus est, [6]) ut Theocritus, qui haud dubie multum temporis Co versatus non est, familiaritate aut, si biographum audimus, institutione eius uti potuerit. Philetam magistrum fuisse Philadelphi cognitum habemus, qui natus est ol. 117. 3 (309 a. Chr.) illiusque discipulus nisi in Co insula ipsa fuisse non potest, ut recte comprobavit Hempelius (Quaestion. Theocr. diss. Kil. 1881 pg. 14). quamdiu et quando Philadelphus hac institutione fructus sit, de hac re cum nihil traditum sit, ne id quidem scimus, utrum Zenodotus, antequam Philadelphus Con venit, an postea commercium cum Phileta inierit, an ipse puerum regium in institutione habuerit socium (quod placuit Partheio, D. alex. Mus. pg. 71), ut nihil nisi natu minorem eum fuisse Phileta ex hac Suidae commemoratione efficere possimus.

Pergit Suidas ἐπὶ Πτολεμαίου γεγονὼς τοῦ πρώτου, quae verba haud exiguam continent difficultatem. Soter imperium tenuit ab ol. 115. 1 usque ad ol. 124. 2, intra quos annos Zenodotum natum esse apertum est. γέγονε sane est floruit, quod etiam procul dubio voluit Suidas, [7]) sed hoc loco incertus sum an sua significatione sit usurpatum verbum. nam qui floruit sub Ptolemaeo primo ab filio eius bibliothecae custos designari vix potuit, cum hoc munus difficillimum nisi ad virum admodum strenuum atque ut ita dicam viribus corporis ingeniique maxime vigentem omnino delatum non sit. atque sunt tam gravia, quae Zenodotum vitam suam ultra Philadelphi ipsius dominationem produxisse comprobent, ut cautius verbum γέγονεν intellegamus necesse sit. natus igitur est [8]) Ptolemaeo Sotere rege neque paucos annos habuit — id concludendum videtur e Suidae verbis — cum ille mortuus est, ut veri simillimum mihi videatur ca. ol. 116. natum eum esse. [9]) si ita statuimus, id simul existit commodum, ut non nimium inter Zenodoti et Philadelphi annos natales spatium intercedat. quamquam enim Ritschelius negat, tamen Co ipsa in insula Philadelphum Ephesium cognovisse puto, qui nescio an vicesimum fere annum agens huc commigraverit. quin immo ad hoc audaciae progressus sum in

---

[6]) Ab aliis qui de Philetae vita egerunt obitus ad tempus multo prius refertur. cf. Hempel. Quaest. Theocrit. pg. 13.

[7]) Aliter iudicavit Rohdius (Mus. Rhen. XXXIII. pg. 173), qui Suidam vel Hesychium propterea aetatem Zenodoti hanc posuisse opinatur, quod Philetam Zenodoti magistrum Philippi Alexandrique tempori adscripserit. sed vereor, ut haec Suidae fuerit causa, quem tam acute raro invenias meditantem et rationes perpendentem.

[8]) Γέγονεν hac propria sua vi γεγένηται saepius usurpatum esse a Suida bene demonstratur exemplis quae collegit Rohdius l. l.

[9]) Ritschelius (opp. I pg. 60) et Couatius (l. l. pg. 34), ol. 114 statuunt. Ritschel. causam non affert, alterius rationes silentio premere satius erit.

coniciendo, ut amicitia ipsa quadam Zenodotum et regis filium coniunctos fuisse prorsus probabile mihi videatur.

Quae verba in calce vitae leguntur dici non potest quantopere de eis viri docti disceptaverint. τοὺς παῖδας Πτολεμαίου ἐπαίδευσε Zenodotus, si Suidae habemus fidem. ad Soteris liberos id omnino non spectat, utpote quorum post Philadelphum nemo, quantum scimus, natus sit. quare nisi Philadelphi ipsius, filiorum Soteris educator esse non potuit, neque tamen Philadelphum educavit Zenodotus, quippe a quo nimis exiguo annorum intervallo seiunctus fuerit. itaque nisi omnem hanc Suidae narrationem improbamus, ad secundi Ptolemaei filiorum educationem spectemus necesse videtur. neque id nimis a Suida ipso dissentit, qui si semper severe et ad verbum explicetur multum ponderis, quod adhuc possidet, amissurus sit. haec enim compilatoris istius ratio est, ut quaecumque in fontibus suis invenit iudicii expers in unum redigat posterisque relinquat, ut in has turbas et quisquilias sensum inferant. atque qua semper est neglegentia et levitate, ut legit Zenodotum Philadelphi liberos educasse, non, cum opus suum conscriberet, consideravit permultos fuisse Ptolemaeos, sed quamvis omnium tredecim cognomina distinguere ipse posset, tamen quod omnibus commune fuit nomen, id solum ponere maluit. ideo verba ipsa corruptela vel tenebris non laborant, cum Suidas mea quidem sententia Zenodotum Philadelphi filiorum magistrum nominaverit. iam reputandum, quinam hi fuerint liberi Ptolemaei atque qualis fuerit illa Zenodoti παίδευσις. Philadelphus ol. 123.4 (283) [10]) in matrimonium duxit Arsinoen Lysimachi filiam, ex qua tres tulit filios, quorum nullus ante a. 282 natus esse potest. [11]) cum uxorem, a qua insidias sibi parari suspicatus est, repudiavit rex, pueri qui una cum matre in exilium eiecti sunt [12]) nondum habuerunt tot annos, ut ipsis litterarum rudimentis imbuerentur. postea filii ab Arsinoe sorore et coniuge Ptolemaei altera adoptati sunt, ut nonnullis post nuptias annis, i. e. circa a. 270 in aulam regiam rediisse videantur. ab hoc igitur

---

[10]) Cf. Droysenum (Epigonen ² I pag. 264). Buechelerus (Mus. Rhen. XXX. pg. 55sqq.) mavult a. 281, at nescio qua re commotus sit v. d., ut ita statueret.

[11]) Ergo fallitur Couatius (l. l. pg. 33), qui Euergetam ca. a. 283 natum ponit.

[12]) Non intellego, cur Koeppius (Ueber die syrischen Kriege der ersten Ptolemäer und den Bruderkrieg des Seleukos Kallinikos und Antiochos Hierax, Mus. Rhen XXXIX [1884] pg. 209.) hanc puerorum relegationem, (meram Buecheleri coniecturam) vocet. schol. ad Theocr. XVII. 128., quo nititur haec illius opinio, sensum omnino non praebet, nisi Buechelero assentimur. commemorandum etiam videtur eundem Koeppium pg. 220 quod de Arsinoes liberis negavit id ipsum de filio Laodicae, quem relegavit Antiochus Syriae rex contendere.

tempore pueri Zenodoto in disciplinam traditi esse possunt. sed hanc institutionem non talem fuisse arbitrandum est, ut Zenodotus omnis eo in munere occupatus fuerit bibliothecamque ipsam, cuius per complures iam annos praeses fuerat, eo tempore neglexerit vel potius plane deseruerit, sed ut alios pueros, ita etiam regis filios in disciplinam suam recepit. notum est Aristophanem alios Zenodoti discipulos fuisse, quos tamen ne quasi θρεπτούς illius intellegamus, omnino considerare debemus, quantus fuerit ambitus provinciae illius, quae ad Zenodotum delata erat, quantaque fuerint illius studia litteraria, quae ad puerorum educatorem et magistrum aegre quadrant. hunc igitur in modum Suidae verba intellegenda videntur, ut Zenodotum et Philadelphi liberos educasse omnino non negetur, et quod officium antea a rege mandatum ei sit etiam tum tenuisse censeatur. Homeri fuit interpres illo tempore praestantissimus Zenodotus, — quid mirum, quod cum alii tum pueri regii ut poetarum principem legerent et intellegerent a magistro vel maxime idoneo instructi sint? itaque semper fuit bibliothecarius munusque hoc usque ad vitae finem administravit Zenodotus, id quod nunc alia re comprobabo.

In vita Aristophanis (Suid.) exstant, quae quamquam alio loco retractanda sunt, vel huic loco adhibeantur oportet: Ἀριστοφάνης Βυζ. μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου, ἀλλὰ τοῦ μὲν νέος, [13]) τοῦ δὲ παῖς ἤκουσεν. quae diverse interpretati sunt critici, cum versio Kusteri 'quorum hunc iuvenis, illum vero puer audivit' inde a Clintono (Fast. Hellen. III. 407) comprobanda non visa sit viris qui de his rebus egerunt. profecto sententia ipsa desiderare videtur, ut Aristophanes, priusquam Callimachum audivit, Zenodoti institutione usus sit, quippe cum procul dubio constet Battiaden Zenodoto natu inferiorem fuisse. quare hoc ipsum Ritschelio (pg. 66) placuit Aristophanem Zenodoti usque ad mortem illius discipulum fuisse, tum necessitate coactum ipsa transisse ad Callimachum. sed miror, quod hunc rerum conexum 'apertum' vocat. ex verbis Suidae ipsis omnino nihil concludendum est nisi duos habuisse magistros Aristophanem, quorum scholas deinceps frequentarit. ecquis hodie investigare volet, cur commutatio illa facta sit, quae nescio ob quam causam necessaria habita est ab Aristophane? itaque derelin-

---

[13]) Satis est ambigua et vaga vis huius verbi, id quod parum accurate adhuc observarunt viri docti. cf. Suid. s. Τίτος (i. e. Titus Quinctius Flamininus) νέος ἦν κομιδῇ, πλείω γὰρ τριάκοντα ἐτῶν οὐκ εἶχεν (valde iuvenis erat, Bernh.). itaque re ipsa non cogimur, ut Aristophani νέῳ cum Ritschelio aliisque quindecim tantum annos tribuamus.

quenda haec interpretationis via quaerendumque, num certius quiddam inveniri queat.

Redeo ad Suidam, qui si severe explicatur, aliter intellegi vix potest quam voluerunt Clintonus Ritschelius alii omnes. sed Suidam accurate exscripsisse auctorem suum nego bonaque ea quae apud illum invenerit neglegentius aut omnino perperam lexico inseruisse contendo errasse Suidam facile tibi persuadebis, si quae fuerit Aristophanis condicio vitae eiusque in Homero emendando quam postea adhibuit ratio critica, satis perspexeris. fuit enim Byzantinus ille inter bibliothecarios primus, qui sola in grammatica vel potius in philologia studia sua collocaverit [14]) omniaque ab ea aliena neglexerit, quibus qui ante eum fuerunt omnes magis quam ad litteras ipsas bene augendas indulsisse constat. atque qui tam praeclare quam angustis finibus sit inclusa grammatici cuiusque provincia cognovit, is non mirum quod etiam magistros eos quaesierit, qui in arte grammatica ipsa principes neque alio inferiores erant. sane obicias mihi ne Callimachum quidem laude indignum esse, qui in omni fere philologiae parte et grammatica ipsa et litterarum historia et chronologia non infimo loco celebrandus sit. tamen sive temporum labe sive ulla alia re factum est, nullos fere invenimus locos, ubi grammaticus laudatus sit Callimachus. [15]) discipulos quoque habuit Callimachus, inter quos vel admodum praecipui illi duo videntur fuisse qui proprio nomine Καλλιμάχειοι vocantur Hermippus et Ister. quamquam ne de eis quidem certiores facti sumus, num in grammatica amplius vel nobilius quid praestiterint. Istrum enim scimus saepius ob errores in reprehensionem vocari, Hermippum in operibus suis magis ad philosophiam animum advertisse quam ad grammaticam. (cf. Linckium, De Call. vit. et script. diss. Hal. 1862 pg. 13 sq.). quare nihil impedit, quominus statuamus Callimachum, licet habuerit discipulos neque eos obscuros, illis satisfacere non potuisse, qui postpositis eis litterarum regionibus, quae Callimacho magis cordi essent, in philologia ipsa nomen sibi consequi voluerint. Callimachum, ne hoc omittam, poetam fuisse ne umquam obliviscamur oportet, qui summa gloria viguerit florueritque. hanc ipsam ob rem multi opinor adulescentes ut eius discipuli fierent operam

---

[14]) Nam quid dicam de Aristophane Byzantino phaenomenorum i.e. carminis auctore, quem laudat Arati biogr. I. (Westermann. biogr. gr. m. pg. $55._{92}$) in incerto sum.

[15]) Cf. Wolfii prlgg. ad Hom. pg. 218 sq. not., qua in Homeri scholiis de Callimacho 'nihil occurrere indicatur, quod proprie scriptum sit ad emendandum vel interpretandum Homerum.'

dederunt, inter quos non est mirum quod etiam Aristophanes fuerit, qui dum adulescens ipse fuit, hominem in arte poetica tum celeberrimum adiit eumque aemulari imitarique studuit. at Aristophanes vixit eo saeculo, quo hominum animi ad tales res noniam tam propensi fuerunt quam paulo ante, cum poesis Alexandrina in flore erat. iam erant mentes sobriae magisque ad rerum inquisitionem quam ad artem carminum fingendorum vergebant. quare non dubium, quin Aristophanes primo ei se adiunxerit, qui tam prospere famam grammatici et poetae celebris in se consociavit, tum vero, cum mens eius in lusibus et aliis huiuscemodi rebus satisfacere sibi non posset, ad alium transgressus sit, cuius ingenium cum ipsius proprio magis conveniret. Aristophanem exploratum habemus compluribus philologiae disciplinis incubuisse neque sola in Homeri interpreattione fuisse versatum, cui totum se dederat Zenodotus.[16]) tamen etiam satis multa relicta sunt, quae ad τὴν Ἀριστοφάνειον διόρθωσιν Homeri respiciunt. quonam, quaeso, modo is Homerum neglexisse potest, qui discipulum et amicum omnium temporum nobilissimum sibi nanctus est Aristarchum, qui ut inter philologos omnes stat quasi fax lucidissima, ita splendoris sui particulam quandam in magistrum reicit. illa Homeri recensio Aristophanea, cuius Zenodotea editio quasi fundus fuit (cf. Wolf., prlgg. pg. 222, n. 98.), quamvis in permultis cum magistri ipsius praeceptis consentiat, tamen eo ipso superiorem se praebet Aristophanes, quod temeritati, qua ille in emendando Homero usus est, non ita indulsit poetamque magis ex poeta ipso interpretatus est qnam ex ingenio suo.[17]) atque Aristophanes quam exercuit ipse artem criticam eius fundamentum a Zenodoto institutore quin acceperit, non est cur dubitemus, cum nemo eo tempore vocetur grammaticus, qui tantum in hac arte valuerit quantum ille. Zenodotum cum non iam admodum puer magistrum sibi elegisset Aristophanes, quibus ille adulescentem instruxit ea per totam eius vitam viguerunt, aut si mavis, Aristophanes tanto postea magistri amore inflammatus fuit, ut ne in scriptis quidem suis eius auctoritatem labefactare vellet. sed ne nimia loquar

[16]) Cf. Lehrsium, (De Aristarchi stud. Hom. pg. 258) 'Aristophanis magna et immortalia de omni antiquitate merita reliquiae testantur: ea si quaeris quae ad scriptorum textus pertineant, saepe eius mentio fit in variarum lectionum delectu, in eruendis versibus spuriis atque in libris vel attribuendis vel abiudicandis ab auctoribus tralaticiis, in carminibus ordinandis, in metris dispescendis.'

[17]) Aristophanem γλώσσας scripsisse notum est, quibus — quod imprimis tenendum — ut rara quae apud Homerum exstant verba explicaret primus confugit ad dialectos graecae linguae. cf. Lehrsium l. l., qui tamen haec Aristophanis studia magni non aestimat.

re ipsa aperta, haec est summa eorum quae disputavi: Aristophanes artem criticam in Homero exercitatam a nullo didicit nisi a Zenodoto neque ipse puer, sed adulescens viginti ferme annos natus; praeterea qui in vita sequente tota sua studia in philologia posuit non a Zenodoto ad Callimachum, i. e. a grammatica ad poesin transisse potest, sed pervenit a poesi ad grammaticam.

In Kusteri igitur interpretatione cum quodammodo maneamus, Callimachum Aristophanis praeceptorem pueri, Zenodotum adulescentis fuisse arbitrandum est. itaque commutetur verborum collocatio oportet, nisi interpretatio illa, quam proponit Kuster, ipsa defendi potest. atque scribendum proponat, cui institutionis ratio Aristophaneae eadem videtur atque mihi, ita: μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου, ἀλλὰ τοῦ μὲν παῖς, τοῦ δὲ νέος ἤκουσεν, ut sententia valde probabilis existat. commendari videtur coniectura ea quoque re, quod Callimachi nomen ante Zenodotum legitur, quod ex consuetudine Suidae si contemplaris, nihil indicat nisi Callimachum ante Zenodotum Aristophanis fuisse magistrum.

Ita si quispiam emendaturus sit verba Suidae, non habeamus quod contra dicamus. attamen mirandum, quod viri docti locum sic interpretati sunt, ut a me refutatum meritoque refutatum est, ut videtur. ac magis etiam est mirum, quod nemo adhuc ex lege grammatica ipsa aliter intellegi posse intellexerit. etenim satis notum est vim verborum ὁ μέν — ὁ δέ non eam solum esse, ut ὁ μέν ad prius enuntiati quod praecedit membrum, ὁ δέ ad alterum referatur, sed exstant etiam loci, ubi contrarium ipsum statuendum est; neque aliter apud Latinos 'hic — ille' passim legimus collocatum. sed libet exempla afferre, quibus summa rei optime illustratur. Xenoph. anab. I. 10. 4. ἐνταῦθα διέσχον αλλήλων βασιλεύς τε καὶ οἱ Ἕλληνες ὡς τριάκοντα στάδια, οἱ μὲν (sc. οἱ Ἕλληνες) διώκοντες τοὺς καθ' ἑαυτοὺς ὡς πάντας νικῶντες, οἱ δὲ (sc. οἱ βάρβαροι) ἁρπάζοντες ὡς ἤδη πάντες νικῶντες. Aristot. poet. 24. 6. τὸ δὲ ἰαμβεῖον καὶ τετράμετρον κινητικά, καὶ τὸ μὲν (sc. τὸ τετράμετρον) ὀρχηστικόν, τὸ δὲ (sc. τὸ ἰαμβεῖον) πρακτικόν. Plutarch. C. Gracch. 18. 1. οὗτος (Ὀπίμιος) κατακτείνας . . . Γάιον Γράγχον καὶ Φούλβιον Φλάκκον, ὧν ὁ μὲν (sc. Φλάκκος) ἦν ὑπατικὸς καὶ θριαμβικός, ὁ δὲ (scil. Γράγχος) τῆς καθ' αὑτὸν ἡλικίας ἀρετῇ καὶ δόξῃ πεπρωτευκώς κτλ. alia exempla exstant Xenoph. anab. V. 4. 11 sq., Thucyd. I. 68. 4. IV. 62. 2. Aristot. poet. 17. 2 (ἐκστατικοί, quod ex cod. Victor. pro ἐξεταστικοί recepit Christius, mihi quidem non probatur.). similem locum inveni in Suidae lexico ipso, qui ponderis sui nihil eo amittit, quod ex Philostrato (de V. A. I. 10) excerptus est; s. v. Ἀπολλώνιος ὁ Τυανεύς·

ἐς σωφροσύνην ὑπερέβαλε τὸν τοῦ Σοφοκλέους· ὁ μὲν γὰρ λυττῶντα ἔφη καὶ ἄγριον δεσπότην ἀποφυγεῖν ἐλθόντα εἰς γῆρας· ὁ δὲ Ἀπολλώνιος ὑπ' ἀρετῆς καὶ σωφροσύνης οὐδὲ ἐν μειρακίῳ ἡττήθη τούτων. haec exempla qui attente sobrieque consideraverit iam non dubitabit, quin idem, quod saepius idque in Suida ipso invenimus, hac quoque in vita vel statuendum sit vel statui certe possit. quare etiam haec mihi fuit causa, ut ad Kusteri versionem redirem, quae nec contra grammaticae leges nec contra sensum atque rem ipsam facta est.

Quae ita de Aristophane in lucem protraxisse mihi videor etiam ut decessum Zenodoti certius exquiram ansam dabunt. iam supra quantopere fuerit Aristophanis ratio critica coniuncta cum Zenodotea, vel potius quantum ab ea pendere videatur uberius explanavi. quamobrem qui tam diligenter magistri vestigia persequebatur, ut quae aequales rectiora atque accuratiora invenerant, eis fere despectis semper Zenodoto adhaereret, ille non breve tempus, sed per longius annorum spatium institutione eius videtur fructus esse. cum autem veri simile sit vel post Callimachi mortem vel paulo ante Aristophanem Zenodoti in disciplinam se tradidisse, Callimachusque, ut infra demonstrabo, ol. 133 obierit, non est, cur Zenodoti decessum multum ante olymp. 136 collocemus.[18]) itaque vixit ab ol. 116 usque ad ol. 136 atque bibliothecae fuit custos usque ad mortem ipsam.

---

[18]) Nescio an alia quoque re impediamur, quominus Zenodotum multum ante hanc olymp. esse mortuum statuamus. ait enim Suidas s. v. Πτολεμαῖος ὁ Ἐπιθέτης· διότι ἐπέθετο (em. Bernh. cdd. εἵπετο) τῷ Ἀριστάρχῳ. διηκηκόει δ' Ἑλλανίκου τοῦ γραμματικοῦ, ὁ δὲ Ἀγαθοκλέους, ὁ δὲ Ζηνοδότου τοῦ Ἐφεσίου. fuit igitur

Zenodotus magister Agathoclis,
Agathocles magister Hellanici,
Hellanicus magister Ptolemaei

non modo Ptolemaeus, sed etiam Hellanicus ipse Aristarchi adversarius fuit; cf. Bernhardii notam. ideo fuisse videtur Aristarchi aequalis, quamvis aliquantum natu maior habendus sit ille, cuius discipulus eundem Aristarchum impugnaverit. Zenodotus (ut maximum quod cogitari potest ipsum ponam) fortasse usque ad mortem Agathoclis istius fuit praeceptor, quem minimum viginti aut viginti quattuor annos tum habuisse consentaneum est. si igitur mortuus est Zenod. ol. 136, Agathocles ca. ol. $\frac{130}{131}$ eiusque discipulus Hellanicus non ante ol. 140 natus esse videtur. itaque Ptolemaeus ab ol. $\frac{153}{154}$ vel paulo post apte discipulus Hellanici appellari potest, ut usque ad obitum Aristarchi (ol. 159) tempus satis longum fuerit, quo illi ἐπιθέσθαι potuit. hanc temporis rationem quae intercedit inter viros illos a Suida nominatos qui bene intellexerit mecum Zenodoti decessum olympiadi 136 opinor malet adscribere quam ol. 133, ut proposuit Ritschelius, aut ol. 130, ut Couatius.

De Callimacho.

De Zenodoti in bibliotheca administranda successore cum apud scriptores nihil legatur, multi ne dicam omnes viri docti summo gaudio Ritschelio assensi sunt, qui scholio isto Plautino reperto testimonium quoddam invenisse sibi visus est Callimachum ipsum fuisse bibliothecarium atque esse collocandum post Zenodotum. sed priusquam de hoc munere ipso, quod Callimacho attribuerunt viri docti, agam, opus mihi videtur de vitae eius quae servantur colligere atque explicare. Suidas cum de anno Callimachi natali nihil commemoret, omnis fere huius quaestionis vis posita est in biographis istis Arati, quos edidit Westermannus in Βιογράφοις pg. 52 sqq. locos ipsos enumero. vit. I. (pg. 54.74) Ἄρατος γέγονε κατὰ τὸν πρῶτον καὶ δεύτερον Πτολεμαῖον . . . μέμνηται γοῦν αὐτοῦ καὶ Καλλίμαχος ὡς πρεσβυτέρου οὐ μόνον ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν (epigr. 27 Mein.), ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς πρὸς Πραξιφάνην. vit. III (pg. 59.41) ἤδη καὶ ὁ Καλλίμαχος συνεγγίζων αὐτῷ (τῷ Ἀράτῳ) κατὰ τοὺς χρόνους. vit. IV. (pg. 60.6) Ἄρατος . . . συνήκμασε δ' Ἀλεξάνδρῳ τῷ Αἰτωλῷ καὶ Καλλιμάχῳ καὶ Μενάνδρῳ (?) καὶ Φιλητᾷ. ead. vit. (pg. 60.25) (Ἄρατος) γηραιῷ δὲ τῷ Κυρηναίῳ ἐπεβάλετο, παρ' οὗ καὶ ἐπιγράμματος ἠξιώθη.

Inter vitas Arati, ut vel nunc ponam quod alio loco[1]) uberius probaturus sum, longe optima cum sit tertia, vitiis compluribus inquinata leviterque conscripta imprimis quarta, illius testimonium omnino tenendum est, quo Callimachus Arato συνεγγίζων κατὰ τοὺς χρόνους vocatur. Aratum iam nunc inter doctos constat natum esse ol. 119.4 (cf. Koepkium, De Arati Solensis aetate, progr. Gubens. 1867, pg. 19). huic igitur olympiadi vel tempori quod ab hac non multum distat adscribendus etiam Callimachi videtur esse annus natalis. certus quidam annus tanta in fontium inopia atque biographorum erroribus ipsis cum inveniri nequeat — cavendum enim, ne uni alterive vitae fidem habeamus, quibus Callimachus aut natu maior Arato appellatur (vita I.)[2])

---

[1]) Dolendum mihi, quod dissertationis angustiae agere me vetant de vitis Arati eorumque pretio. quare pauca quae attuli sufficiant; ipse quae de vitis his inveni commentatione ampliore posthac edam.

[2]) Est locus ille, quo a biographo docte refelluntur qui Aratum Nicandri aequalem fuisse arbitrati sint: μέμνηται γοῦν αὐτοῦ καὶ Καλλ. ὡς πρεσβυτέρου οὐ μόνον ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς πρὸς Πραξιφάνην, πάνυ ἐπαινῶν αὐτὸν ὡς πολυμαθῆ καὶ ἄριστον ποιητήν. γέγονε δ' ὁ Ἄρατος ζηλωτὴς Ἡσιόδου, ὡς καὶ Καλλίμ. παρεσημήνατο τοῦτο διὰ τοῦ εἰς αὐτὸν ἐπιγράμματος οὕτως· Ἡσιόδου τόδ' ἄεισμα κτλ. ergo ex biographi sententia Callimachus se ipse natu maiorem

aut multo minor (vit. IV)[3] — ex re ipsa id solum concludendum videtur Callimachum annis paulo superiorem fuisse Arato. nam hic opus illud, quo gloriam summam assecutus est, dico phaenomena, tiro certe atque adhuc rudis

vocat Arato. (de dictione cf. schol. ad Nicand. ther. v. 3 ed. Keil: καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Νίκανδρος μέμνηται τοῦ Ἑρμησιάνακτος ὡς πρεσβυτέρου (sc. αὐτοῦ) ἐν τῷ περὶ τῶν ἐκ Κολοφῶνος ποιητῶν.). τοῦ Νικάνδρου suppleamus opus non est, ut recte me monuit Leo. ipse suspicatur vir doctissimus olim sola haec exstitisse verba: μέμνηται αὐτοῦ καὶ Καλλ. οὐ μόνον κτλ., id quod verissimum mihi videtur esse. hanc enim speciem prae se fert totus locus, ut Callimachi epigramma imitatioque Hesiodea gravissima ipsa sint, quorum causa totus insertus sit locus vitae. cf. imprimis vit. III (pg. 58.23), ubi breviter at apte narrat biogr. ἐγένετο δὲ σφόδρα πολυγράμματος ἀνήρ, ὡς μαρτυρεῖ Καλλίμαχος. itaque iam non est dubium, quin etiam in prima vita olim tandem Callimachi de phaenomenis iudicium lectum sit. nimirum ipse biographus verbis quae praecedunt fabulosa illa optime refutavit, quoniam Aratum primi secundique Ptolemaei, Nicandrum quinti aequalem vocat. hac argumentatione in propatulo est in vita Callimachi describenda ad ea biographi verba, quae ad primarium vitae auctorem omnino non redeant, confugere nos non posse.

3) γηραιῷ δὲ τῷ Κυρηναίῳ ἐπεβάλετο, παρ' οὗ καὶ ἐπιγράμματος ἠξιώθη. haec verba repugnant verbis eiusdem biographi, qui paulo ante Callimachum Arati συνακμάσαντα nominavit. minima igitur vel hanc ob rem videtur esse fides biographi, qui tam imprudenter atque secure auctores suos exscripserit, ut ne senserit quidem, quanta sit discrepantia in ipsius verbis. quamquam explicatius est agendum de hoc loco. si enim quae a biographo narrantur vera essent, Callimachum multo ante Aratum esse natum oporteret, olymp. fortassis 112 vel etiam antea. vis verbi ἐπιβάλλειν (hoc solo loco, quantum scio, legitur media forma) tali in dictione est ea, ut semper homo admodum adulescens cum seniore coniungatur, atque eo modo coniungatur, ut νέος illius γηραιοῦ tempora attigisse dicatur. atque tam vagum est hoc verbum, ut ne consuetudo quidem vel familiaritas quaedam, quae fuerit inter homines ita consociatos, eo indicetur. sed exempla quaedam afferre in animo est: Suid. s. v. Φιλόχορος· κατὰ δὲ τοὺς χρόνους ἦν Ἐρατοσθένους, ὡς ἐπιβαλεῖν πρεσβύτῃ νέον ὄντα Ἐρατοσθένῃ. s. v. Ἱπποκράτης· οὗτος μαθητής. . . . . ὡς δέ τινες, Δημοκρίτου τοῦ Ἀβδηρίτου, ἐπιβαλεῖν γὰρ αὐτὸν νέον πρεσβύτῃ (ita Kusterus; cdd. νέῳ πρεσβύτην). propter eam rem Democriti vocatur discipulus Hippocrates, quod tempus eius ipse attigerit. s. v. Ἑλλάνικος· διέτριψε σὺν Ἡροδότῳ παρ' Ἀμύντᾳ τῷ Μακεδόνων βασιλεῖ κατὰ τοὺς χρόνους Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους καὶ Ἑκαταίῳ τῷ Μιλησίῳ ἐπέβαλε γεγονότι κατὰ τὰ Περσικὰ καὶ μικρῷ πρός. nullum ex his exemplis ad familiaritatem quandam spectat. itaque errat ipse Suidas qui s. v. ἐπέβαλεν haec habet ἤρξατο, ἐπεχείρησεν, ἢ ἀντὶ τοῦ συνῆν· ὃς καὶ Ἑκαταίῳ Μιλησίῳ ἐπέβαλεν (scil. Ἑλλάνικος). ad haec Suidae

fere in arte poetica (cf. Koepkium l. l. pg. 5) scripsit.[4]) sed prosperrime evenit carmen, quod ipse libere confitetur Callimachus epigrammate illo, quod incipit Ἡσιόδου τόδ' ἄεισμα. tota huius epigrammatis indoles ea mihi videtur esse, ut poeta alius, qui ipse iam famam nomenque sibi fecerit, alium, qui tunc primum carmen maius ediderit, quasi pater laudaverit admonueritque, ut hac ratione pergat carmina fingere. id igitur si consideratur conferturque cum ea re, quod Callimachus duobus locis Arati aequalis vocatur, Cyrenaeus poeta ante ol. 119, fortassis ipsa ol. 118 vel 117 natus esse videtur. nam ne verborum συνεγγίζων et συνακμάσας eam vim intellegamus, ut iisdem fere temporibus nati habeantur qui ita coniunguntur homines, impedimur satis multis locis, ubi contrarium ipsum statuendum est. quare iam sufficiat, quod ol., post quam Callimachus natus esse non potest, quadam cum veri specie detecta est.

Iam vero transeundum est ad Suidam qui narrat haec: ἐπὶ δὲ τῶν χρόνων ἦν Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου· πρὶν δὲ συσταθῆναι τῷ βασιλεῖ, γράμματα ἐδίδασκεν ἐν Ἐλευσῖνι, κωμυδρίῳ τῆς Ἀλεξανδρείας. καὶ παρέτεινε μέχρι τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος Πτολεμαίου, ὀλυμπιάδος δὲ ρκζ', [5]) ἧς κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος ὁ Εὐεργέτης Πτ. ἤρξατο βασιλείας. quibus verbis vitium quoddam haud exiguum continetur, cum Euergetes non ol. 127 sed ol. 133 secundo anno rex factus sit. tamen hunc ipsum numerum pro anno illo perperam a Suida indicato

verba nescio an respiciant qui ἐπέβαλεν esse 'innotuit' putant. neque vero dubium, quin Suidas, si id voluisset, verbo usurus fuisset παραβάλλειν, cf. Diog. Laert. II. 17.2 Μενέδημος καὶ Ἀσκληπιάδης ἐκ Μεγάρων πλεύσαντες εἰς Ἦλιν Ἀγχιπόλῳ καὶ Μόσχῳ . . . . παρέβαλον, cf. etiam IV.6. 3 alibi. (Pseudoplutarchi) vit. Demosth. (West. pg. 281.18) ἐπιβάλλειν perinde atque a Suida invenias adhibitum ab Eustathio in vit. Pind. (Westermann. pg. 91.35) et in vit. Pind. anonym. (Westermann. pg. 98.35). id constare videtur exemplis quae collegi commercium quoddam inter viros duos hoc verbo non indicari semperque id ita adhiberi, ut conexus quidam inter homines aetate multum distantes efficiatur. quare in vita Arati III non scribendum cum Clintono γηραιὸς δὲ τῷ Κυρηναίῳ ἐπ., sed ipsum γηραιῷ cum retineamus, ingentem statuimus errorem biographi, qui Aratum tanto intervallo a Callimacho seiunctum opinatus est, quantum fuisse numquam potest.

4) Nulla sunt, quae adversus biographos eorumque auctoritatem disputavit Hempelius l. l. pg. 93.

5) Ita cdd. VBE (A) Gaisf., qui etiam quod sequitur ἧς eiecit. cett. cdd. ὀλυμπιὰς δὲ ἦν ρκζ'. ρκε' quod mira consensione et Heckerus (Comment. Call. pg. 15) et Merkelius (prlgg. ad Apoll. Argonaut.. pg. XI) ponunt nescio unde receperint.

in verborum contextum inserere vetamur ratione Suidae ipsa, quae aliter ut explicemus rem postulare videtur. neque viris doctis assentior, qui aut Suidae omnem abiudicarunt fidem aut nihil ex verbis illis esse concludendum censuerunt nisi post imperium ab Euergeta susceptum esse mortuum Callimachum. immo alia mihi videtur progrediendum via, gaudeoque, quod Kaibelii vestigia quodammodo premere possum. omnino Suidam nescivisse sive apud auctores suos non legisse, quo anno patri successerit Euergetes, pernegandum est, multoque praestat sententia Kaibelii, qui a librario quodam suspicatur esse locum corruptum aut a Suida ipso, qui obiter tantum auctorem suum excerpserit. itaque sic restituenda videtur glossa: πρὶν δὲ συσταθῆναι τῷ βασιλεῖ, γρ. ἐδ. ἐν Ἐλ. κωμ. τ. Ἀλ. . ἤκμασε δὲ ἐπὶ [6]) τῆς ὀλυμπιάδος ρκζ' καὶ παρέτεινε μέχρι τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος Πτολεμαίου, ὀλυμπιάδος δὲ ρλγ', ἧς κατὰ κτλ. Suidas quod duos numeros in unum contraxerit haud mireris, si quae fuerit eius neglegentia atque incuria animum inducas teneasque memoria verborum ἀκμάζειν et παρατείνειν tam similem esse apud Suidam vim, [7]) ut vel eam ob rem compilator hic rudis oculis a loco priore statim ad alterum aberraverit eumque solum licet adscripto eo numero, quem in priore cum legisset in memoria retinuerat, in glossam receperit.

Discimus e Suida Callimachum, postquam Cyrenen patriam reliquerit, in vico Eleusine pueros in litterarum rudimentis instituisse. quando huc transmigraverit nescimus, neque multum refert id eruere. Eleusis prope Alexandream sita erat (cf. Couat. l. l. pg. 4), ut Callimacho, quem etiam tum adulescentem vel iuvenem fuisse ex ipsa re patet, potestas facta sit bibliothecam museumque ipsum adeundi. hoc ut contendam, verbis commoveor Tzetzae, quae exstant in prolegomenis ad Aristophanem feliciter a Keilio repertis editisque a. 1847 (et in Ritschelii opusculis I pg. 197 sqq.). ὧν (sc. τῶν βιβλίων) ἦν ἀριθμός κτλ. . . ὡς ὁ Καλλίμαχος νεανίσκος ὢν τῆς αὐλῆς ὑστέρως μετὰ τὴν ἀνόρθωσιν τοὺς πίνακας αὐτῶν ἀπεγράψατο (pg. 206). ad haec verba adiungas quae leguntur in prolegomenis prioribus (pg. 200) νεανίαι ἦσαν Καλλίμαχος καὶ Ἐρατοσθένης. iam in memoriam, quaeso, revoca quae supra posui praeter Zenodotum Alexandrum Lycophronem alios multos fuisse viros, qui libris ordinandis recensendis emendandis operam navarint. ‘ecquis est, qui serio sibi persuadeat tot quot Alexandreae exstitisse credibile sit tragoediarum comoediarumque recensionem

---

[6]) Ἀκμάζειν ἐπί τινος raro dicitur; exstat etiam s. v. Ζήνων Κιτιεύς· ἤκμαζεν ἐπ' Ἀντιγόνου τοῦ Γονατᾶ ἐπὶ τῆς ρκε' ὀλυμπιάδος.

[7]) Uberius de hac re disputabitur; ubi de Aristophane erit sermo.

criticam binorum hominum labore potuisse perfici?' ita rectissime Ritschelius (pg. 141), cui Keilius (pg. 224) lubentissime assensus est. cf. etiam Tzetzam ipsum (pg. 201): αἱ σκηνικαὶ βίβλοι. . . . καὶ ὠρθώθησαν καὶ πολλοῖς ἀνδράσιν ἐπεξηγήθησαν. quos inter homines qui virorum trium adiutores ipsique — quod magis videtur verisimile — aetate adulescentiores erant, et Eratosthenes et Callimachus fuisse nominantur. Callimachum tale officium in bibliotheca administrasse Tzetzes ipse videtur esse testis, qui eum συμπαρόντα [8]) Zenodoto aliisque duobus cum appellat, a e q u a l e m Ephesii eum minime vocavit.[9])

Tamen Tzetzam relinquere non possum, priusquam ei, qui pessime illius verba perturbare conatus est, oblocutus sim. Schneidero (Callim. II. pg. 298 sqq.) cum non sufficiant quae Tzetza bene lucideque tradidit omniaque suspecta falsa parum accurata videantur, medelam quaerit invenitque adhibitis tribus reliquis fragmentis scholio Plautino notissimo (Ritschel. opp. I. pg. 1 sqq.) anecdoto Parisiensi (ed. a Cramero in anecd. Paris. I. pg. 3 sq. et a Ritschelio opp. I. pg. 124 sqq.) prooemio Tzetzae priore. sed apponam locum, ut est 'restitutus' a Schneidero: ὡς ὁ Καλλίμαχός [τέ φησιν ὃς] νεανίσκος ὢν [ἔτι τότε καὶ οὔπω ἐπὶ βιβλιοθήκης ὢν] τῆς αὐλῆς, ὑστέρως μετὰ τὴν ἀνόρθωσιν τοὺς πίνακας αὐτῶν ἀπεγράψατο, Ἐρατοσθένης τέ (cd. δέ) ὁ ἡλικιώτης αὐτοῦ [ὃς μετ' οὐ πολλὸν χρόνον μετ' αὐτὸν] παρὰ τοῦ βασιλέως τὸ τοιοῦτον βιβλιοφυλάκιον ἐνεπιστεύθη. ut praetermittam tanta violentia scriptorem veterem adhuc vix aliquem emendare studuisse, num hac ratione sententia melior aptiorque inventa est, quam quae simplex ac bona a Tzetza praebetur? Callimachus ita occupatus erat in bibliotheca, ut catalogum librorum scribere iuberetur a Zenodoto, quem catalogum fundamentum esse factum puto operis istius magni celebris-

---

[8]) Non concoquo, cur Keilius (pg. 231) Tzetzam prooemio altero ipsum improbare affirmet, quod priore Eratosthenem in libris recensendis tribus illis grammaticis adfuisse dixerit. quidni fieri potuit, ut Eratosthenes adulescens cum senioribus illis una esset?

[9]) Alia fortasse vis verbis 'νεανίσκος τῆς αὐλῆς' inesse potest, si reputamus a Diogene Laertio discipulos philosophorum persaepe νεανίσκους vocari; cf. ut exemplum unum afferam, V. 71. ita cum per multa saecula, at certe ab Aristotelis aetate (vide exemplum quod attuli) usque ad Diogenis tempora loqui soliti sint homines, non mirum, si etiam postea hoc verbum usitatum fuerit. atque scholam quandam aulicam fuisse lubenter mihi persuadeam, quoniam ipsa bibliotheca illa magna ἡ ἔσω τῶν ἀνακτόρων καὶ τοῦ βασιλείου (Tzetz.) nominatur. ceterum schola haec, si exstitit, id quod nunc nescimus, cum bibliotheca ipsa quin artissime coniuncta fuerit non dubito; at certe ea erat, in qua omnes qui bibliothecariorum discipuli vel auditores feruntur ab illis instituebantur.

que, quod postea edidit cuique soli nomen πινάκων inditum est. neque aliter de verbis iudicandum est, quae ad Eratosthenem supplevit Schneiderus, ut omnia necessaria haudquaquam videantur, quae commentus est, vel potius quae in Tzetzam peccavit.

Multos annos Alexandreae sive rectius Eleusine vixit Callimachus et in puerorum institutione et in bibliotheca occupatus. neque solum grammaticam tractavit his annis, sed ut vixdum adulescens factus Aetia scribere aggressus est (cf. Schneid. Callim. II pg. 40), ita semper et artem poeticam alios edocuisse videtur et ipse exercuisse. maiorem autem ad gloriam eum pervenisse eo demum tempore ex Suida patet, quo in regis notitiam venit. hoc factum est ol. 127, si recte verba Suidae a me emendata sunt atque ad hanc ipsam rem olympias illa pertinet. quod tamen mihi videtur statuendum, quia alia causa non invenitur, cur hanc esse ἀκμήν Callimachi voluerit Suidas vel Hesychius. id ipsum Suidae optime ansam dare potuit, ut eam indicaret, praesertim cum animo reputaveris illo ipso tempore rixam istam acerbam, quam habuit cum Apollonio Callimachus, esse exortam neque Callimachum inferiorem fuisse adversario. hac quidem de rixa cum complura enarranda sint, ubi de Apollonio ipso agam, nunc sufficit quod posui eodem tempore eam fuisse, quo hunc Cyrenaei florem statuit Suidas.

Quare statim ad illud cum transeam, quod gravissimum hac in quaestione, quam de Callimacho institui, videtur esse, imprimis confiteor nisi in scholio Plautino apud auctores non legi Callimachum bibliothecarium fuisse. sed qualis auctoritas scholii esse potest, cum fons illius Tzetzes ipse nusquam ad tale Callimachi munus respiciat? miramur quidem, quod ille omnium aequalium celeberrimus et apud regem summo in honore ac favore versatus homo id munus non administraverit, quod ad viros minoris sane nominis saepius transisse legimus. atque id Ritschelio aliisque qui Callimachum in bibliothecariorum seriem illam recipiendum censuerunt concedo Cyrenaeum inter omnes aequales ad hanc provinciam bene strenueque administrandam maxime idoneum fuisse. sed doctrina quod abundarit Callimachus, mea sententia causa esse nequit, ut etiam summum honorem ipsum adeptus sit. nam si huiusce modi causis in rebus obscuris inquirendis uteremur semperque eos, qui honoribus dignissimi erant, ad illos pervenisse arbitraremur, quantopere in arte critica a recta via aberraremus. itaque si sobrie severeque quae servata sunt de vita Callimachi examinamus, quod bibliothecarius non sit factus ille iam non miramur. etenim fieri non potuit, quia quoad vivis ipse intererat Callimachus,

bibliothecae alius fuit praeses, Zenodotus, quem cur ante ol. 136 mortuum faciamus supra commemoravi causam non esse. atque Callimachus multum ante hoc tempus obiit. narrat Suidas: παρέτεινε μέχρι τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος Πτολεμαίου, ὀλυμπιάδος δὲ ρλγ', ἧς κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος ὁ Πτ. Εὐεργέτης ἤρξατο βασιλεύειν. ex tali dicendi ratione id imprimis apertum est atque concedendum. eum qui vitam produxerit usque ad olympiadem, qua rex quidam sit factus, nulla alia olymp. nisi hac ipsa esse mortuum. ne in verbo παρατείνειν quidem difficultas quaeri potest, quod olympias ipsa certa ponitur, usque ad quam vixerit Callimachus, ut ipse Weichertus (Ueber d. Leben u. Gedicht d. Apollonios v. Rhodos, Misniae, 1821 pg. 22), qui non nihil veri sensit, vituperandus videatur, quod illum non multo post Euergetae in thronum successionem decessisse affirmet. Ritschelius (pg. 68) licet hanc Weicherti sententiam ipsam comprobet, tamen 'gemaess den bisherigen Praemissen' (sic) olympiades nonnullas ad hunc annum esse addendas confitetur. cum enim Zenodotus ex Ritschelii sententia ol. 133 mortuus sit, Callimachus, qui eius in bibliotheca successor habetur a Ritschelio, ut tempus quoddam etsi exiguum munere illo fungi potuerit, ultra ol. 133 nonnullos etiam annos vixisse debet. valde doleo, quod vir praestantissimus, modo ne conturbaretur quam ipse sibi mente finxerat rerum imago, veritus non est fontium auctoritatem labefactare.[10]) consisto equidem in ol. 133, cuius anno tertio vel quarto mortuus sit Callimachus necesse est. nam si primum aut alterum voluisset Suidas annum, omnino aliter locutus esset (cf. Merkel., prlgg. ad Apoll. pg. XI).

Sed anno hoc definito nisi demonstrare possumus vestigia nulla apud Callimachum esse relicta, quibus longius sub Euergeta temporis spatium ei attribuendum sit, nihil omnino effecimus. quare planius de Coma quae vocatur Berenices disseri opus est, carmine illo Catulli, quo hic verba Callimachi verbis latinis reddens satis fidum se interpretem praebuit.[11])

---

[10]) Ultra Ritschelium ipsum progressus est Keilius (pg. 234), qui cum verbo παρατείνειν nullam vim inesse nisi eam, quod ante decessum Euergetae ipsius defunctus sit Callimachus, persuasum habeat, Callimachi obitum in ol. 139 ponit, qua Euergetes ipse mortuus est.

[11]) Quod Schneiderus (Call. II. pg. 149 sqq.) loco quodam Hygini commotus Callimachum narrationem quandam in carmine suo habuisse existimat, quae apud Catullum non redeat, atque hanc rem ita interpretatur, ut aut Catullum ab auctore suo longius secessisse, aut post v. 28 disticha quaedam intercidisse statuat, id v. d. melius non scripsisset. sane deceptus est Hygini verbis, quae, ut olim perspectum est ab Hauptio (Quaest.

Anno 263 (ol. 129.2) pax inter Magam et Philadelphum facta est, quae ut corroboraretur, Cyrenes regis filia Euergetae desponsa est.[12]) Magae iam insenescentis uxor fuit Apama (vel Arsinoe, cf. Droysenum, Epigonen I pg. 271 n. 1) Antiochi Soteris regis Syriae filia, cum qua coniugium nescio quo anno inierat. nuptiae hae a Droyseno post bellum quoddam celebratae dicuntur, quod inter Philadelphum Antiochumque fuerit. spectant ad hoc bellum verba Callimachi (h. i. Del. v. 171 sqq.), quibus de Gallorum multorum in Aegypto strage vaticinatur Apollo. haec strages, si Koeppium (pg. 212) audimus, post a. 276 facta est, cum nisi hoc anno Galli ab Antigono mitti non potuerint. (cf. schol. ad h. i. Del. v. 175). cum his, quae ipsa dubia non videntur, bene conveniunt, quae praeterea disputavit vir doctus. Ptolemaeus calamitate illa coactus est, ut pacem faceret cum Antiocho ipsoque cum Maga, qui amicitiam, qua in bello coniuncti fuerunt, illo finito ita stabiliverunt, ut Magas Antiochi filiam Apamam in matrimonium duceret, ex qua postea filiam unicam illam Berenicam procreavit. haec autem filia cur a. 263 admodum infans vocetur a Droyseno, equidem intellegere non possum. nam Magas (qui post a. 325 natus esse non potest, cf. Epigonen I pg. 266 n. 1) aetate ita provectus iam erat, ut dubitem, num sponsalia tantum acta sint, nuptiae ipsae dilatae. immo multo verisimilius mihi videtur eodem fere tempore, quo Philadelphi cum Arsinoe sorore nuptiae habitae sunt, aut certe non post a. 270 etiam Magae nuptias esse collocandas. nil igitur obstat, quin Berenicam filiam anno 269 sive paulo post natam esse statuamus,

Catull. pg. 84) recentissimeque repetitum a Couatio (pg. 113 not.) ex verbis Catulli ipsius prave intellectis a grammatico quodam vel interpolatore perperam in verborum contextum inserta sunt.

[12]) Hunc annum, quem constituit Droysenus, etiam nunc teneo, quamquam Koeppius (Mus. Rhen. XXXIX pg. 209 sqq.) prorsus aliam protulit sententiam. nonnulla quae contra Droysenum recte disseruisse mihi videtur vir d. cum supra allaturus sim, hoc loco refellendus est ille, quod (pg. 217 sq.) Berenicam non ut pax confirmaretur esse Euergetae desponsam a patre, sed paulo ante mortem Magae fratres ita pactos esse contendit. qua in re nihil magis opinor mireris quam quod Magas et Philadelphus, qui, quoad vixerunt, alter alterum odio immani persecuti sunt, eo tempore nulla, quantum scimus, causa impulsi hanc societatem iniisse dicuntur. porro licet hoc concedamus, minime persuaderi mihi potest ita esse pactos viros ignara vel invita Apama Magae uxore, quae nota est quantas postea turbas Cyrenae moverit, ne nuptiae illae sibi invisae fierent. at certe sponsalia celebrata sunt, ut bellum grave, quod per totam vitam inter fratres fuerat, conficeretur atque nancisceretur Magas, quae et regno suo et filiae parvae fructui forent. uxoris ipsius rationem eum habuisse nego, id quod procul dubio fecisset, si amice cum Philadelpho actum esset.

quae anno patris letali (258 a. Chr. cf. Epigonen I. p. 275 n. 1) puella parva erat. sed mens ei erat acris et vehemens, ut nondum virgo facta ubi primum stupra matris Demetriique Pulcri, quem post coniugis decessum ut regnum susciperet filiaeque desponderetur Apama advocaverat, cognita habuit, illi interitum pararet. quod enim Justinus (XXVI. 3), cum sponsi caedem commemorat, Berenicam quasi virginem adultam statuit, id recte a Droyseno (l. l. I. pg. 323. 346) improbatum est propter Catulli locum Com. Beren. v. 25 'at te ego certe cognoram a parva virgine magnanimam.' quot annos habuerit cum nesciamus, aut cum Droyseno virginem quattuordecim annorum eam habeamus, aut, quod aptius ex verbis Catulli concludendum videtur, aetatem eius etiam minorem statuamus oportet. annus ipse, quo stupra haec ulta est Berenica, ab Eusebio indicatur secundus ol. 130, quem verum non esse post Niebuhrium vidit Droysenus,[13]) qui illum secutus pro ρλ′ scribendum proponit ρλβ′, ita ut Demetrius ol. 132. 2 ($\frac{251}{250}$ a. Chr.) obiisse dicatur. lubentissime ego applauderem, nisi esset reputandum Berenicam, quam circa a. 268 natam esse supra ostendi, hoc anno maiorem natu fuisse, quam quae verbis illis a Catullo significari potuerit. haec cum ita sint, legendum ρλα′ propono. ideo interfectus est Demetrius a. $\frac{255}{254}$, habuitque Berenice tum quattuordecim fere annos. hoc etiam anno Aegyptum petiit, ubi in aula regia complures annos innupta adhuc versata est, dum a. 247 (ol. 133. 2) annum vicesimum agens conubium cum Euergeta iniit. haec omnia optime inter se cohaerent atque valde probabilia videntur.

Sed Berenica post tot calamitates nondum malis omnibus perfuncta est. nam vix virum amatissimum coniugem sibi adepta est, cum bellum atrocissimum inter Aegyptios et Syros exardescit, quod ut gereret 'maritus recens' (Com. Ber. 11) uxorem iam deserere coactus est. hoc bellum, quo usque ad Assyriorum fines progressus est Euergetes, ab Aegyptiis coeptum est, ut caedem Berenicae Philadelphi filiae, quae paulo ante Antiocho Θεῷ nupserat, ulciscerentur. pax

---

[13]) U. de Wilamowitz-Moellendorf (Antigonos v. Karystos 1882, pg. 229 n. 57) Eusebii numerum esse tenendum dubius ipse censuit. putat enim vir doctissimus quinquaginta annos, quos Magam regnasse Agatharchides (Athen. XII. pg. 550) est testis, propter hunc ipsum numerum tolerari vix posse. itaque errorem quendam esse statuendum, cum falso Demetrii istius annus letalis ad Magam translatus videatur, Magas ipse ante hoc tempus decesserit e vita. verum enim vero duo sunt quae Wilamowitzio opponam. primum omnino nulla est causa, cur fidem Agatharchidis labefactemus, tum, quod est item summi momenti, anno 258 Berenica vixdum puella facta facinus illud clarum neque comminisci neque efficere potuit.

enim quam a. 248 (ol. 133. 1) inter Antiochum et Philadelphum esse compositam scimus ea condicione facta est, ut rex Syriae coniugem suam Laodicam repudiaret eiusque in locum Berenicam in matrimonium duceret (cf. Droysenum l. l. pg. 347 n. 2; Koeppium l. l. pg. 219 n. 2). quamquam ab hac filium tulit, qui a. 247 (ol. 133. 2) natus est, tamen eodem anno Laodicam eiusque liberos revocavit (cf. Droysenum l. l. pg. 377), quae ut contumeliam sibi illatam ablueret Antiochum veneno interemit. atque vel hoc nuntio Alexandream allato Philadelphus ut vitam filiae tutaretur nepotique imperium Seleucidarum servaret, exercitum conscripsisse et bellum parasse videtur (cf. Justin. XXVII. 1). hic autem exercitus, cui Euergetes a patre praefectus est, Antiochi viduam ab interitu servare non potuit, quae cum filio suo infante a privigno Seleuco foedissime occisa est (cf. Justin. l. l.). Antiochus ol. 133. 3 (a. Chr. 246) obiit, non multo post vel eodem vel sequente anno Berenice (cf. Droysen. l. l. pg. 379). de hac re cum dubitare non liceat, singulis huius belli rebus, quae ad quaestionem hanc non pertinent, omissis iam transeamus ad eum annum enucleandum, quo Euergetes victor ex Asia revertit.

Sequimur Justinum, qui haec narrat: ‘qui (Euergetes) nisi in Aegyptum domestica seditione revocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset.’ Philadelphus enim, qui adhuc rex fuit, [14]) cum Euergetes ad bellum gerendum profectus est, e vita decessit reliquitque regnum suum ad tempus quidem orbatum. quid credibilius quam hoc interregno, quod sane fuit, usos esse omnes eos, qui sive dominationem regis moleste tulerant sive semper ad seditionem parati occasionem nullam praetermiserunt ad regni statum labefactandum? quare cum Droyseno faciendum mihi non videtur, qui seditionem istam Cyrenae esse con-

---

[14]) Verbis Hieronymi: ‘occisa Berenice et mortuo Ptolemaeo Philadelpho patre eius in Aegypto, frater illius et ipse Ptolemaeus cognomento Euergetes tertius successit in regnum’ non comprobatur (cf. Koepp. l. l. pg. 219 n. 3) Berenicam ante patrem esse mortuam. Justin. XXVII. 2: ‘Seleucus Beronicen novercam suam sororem Ptolemaei regis Aegypti interfecit’ .... ‘frater quoque Ptolemaeus periculo sororis exterritus relicto regno cum omnibus viribus advolat.’ non laudo Koeppium, qui Justino nimiam habet fidem: ‘Ptol. Philad. sah wohl nicht mehr diese blutigen Fruechte der Saat, die er selbst gesaet hatte. Sein Sohn und Nachfolger musste auch dieses Erbe antreten.’ sic enim Justinus cum verbis Catulli in Coma: (Euergetes) ‘novo auctus hymenaeo vastatum fines iverat Assyrios’ coniungendus videtur, ut Euergetes non multo post nuptias ipsas vivo etiam patre Aegyptum reliquerit, pater, cum filius in Syria fuit, mortuus sit. — Etiam Wilamowitzius (Antig. v. Kar. pg. 233) suspicatur Philadelphum, cum Berenice filia necaretur, etiam vixisse.

flatam persuadere nobis studet.[15]) sane fuit seditio,[16]) quam ut sedaret, Euergetes bellum, quod felicissime adhuc gesserat, aliis finiendum tradidit. ipse quae domi fierent iure graviora habuit quam gloriam bellicam.

Si haec omnia recte conieci, iam concedes mihi reditum Euergetae non multo post collocandum esse, quam in Syriam ipse irruperit. unum fortassis annum bellum ipse gessit, quo, praesertim cum ‘universae civitates crudelitatis exemplo perterritae Ptolemaeo se traderent’ (Just.) tantam Syriae partem subegisse mea quidem sententia potest, ut Callimachus haud immerito dixerit (Com. Ber. v. 36): ‘captam Asiam Aegypti finibus addiderat.’ rediit igitur Euergetes a. 245 (ol. 133. 4); num seditione sedata, quod brevi tempore factum opinor, iterum in Syriam profectus sit, id apertis verbis non accepimus, at suspicari licet. namque tenor omnis monumenti illius Adulitani quod vocatur, quo omnes terrae, quae hoc bello in dicionem regis redactae sunt, enumerantur, indicare videtur Euergetam per longius temporis spatium ipsum in Syria fuisse. sed utut haec se habent, dubitare non debemus, quin rex aliquantulum certe temporis bello ipso nondum confecto in Aegyptum redierit.

Atque ut nunc ad Comam Berenices transeam, hoc carmine quae exposui non modo non improbantur, sed etiam optime confirmantur. ‘haut in tempore longo’ (v. 35) Asia ab Euergeta expugnata est,—quid in his verbis aliud inesse potest quam breve tempus, unus fortassis annus? annus, quem vult Droysenus (l. l. pg. 389 sqq.) 243 (ol. 134.2) a belli initio longius abest, quam qui ita significari possit, belli ipsius vero finis, quem a. 239 (ol. 135. 2) posuit Droysenus, etiam remotior est. regina ipsa, quae mariti absentiam aegerrime tulit, si spatium trium vel etiam plurium annorum illis verbis contineretur, hoc carmine procul dubio non laudem esse assecuta, sed potius ignominia affecta atque ludibrio habita esse sibi visa esset. quare ob hanc quoque causam rex prius rediit, quam adhuc creditum est, ut nihil obstare videatur, quominus Comam anno Callimachi letali 245 (ol. 133. 4) ipsi attribuamus.[17])

---

[15]) Epigonen I pg. 403: ‘Wenn Ptolemaeos 244 oder 245 aus Asien nach Aegypten zurückeilte wegen eines Aufruhrs in den heimischen Laendern, so kann es — denn in Aegypten war weder Anlass noch auch Gelegenheit (?) sich gegen das geordnete Regiment der Lagiden zu erheben — nur ein kyrenaeischer Aufstand gewesen sein, der ihn beunruhigte’ u. s. w.

[16]) Nolo Justini verba ‘seditio domestica’ et ‘in Aegyptum revertit’ nimis premere, quae si severe interpretemur, haud dubie ad seditionem in Aegypto ipsa concitatam spectent.

[17]) Quae de Coma protulit Linckius (De Call. vit. et scriptis pg. 6) ne commemoratione quidem digna sunt.

Neque etiam ullam video causam, cur Callimachi vitam ultra hunc terminum producamus.[18]) etenim Gellius non est respiciendus, qui (Noct. Att. XVII. 21) haec tradit: 'anno deinde post Romam conditam quadringentesimo ferme nonagesimo consulibus Appio Claudio .... M. Fulvio Flacco bellum adversus Poenos primum coeptum est. neque diu post Callimachus poeta Cyrenensis Alexandriae apud Ptolemaeum regem celebratus est.' haec verba a viris doctis ita intellecta sunt, ut ab hoc demum tempore (ol. 129. 1; 264 a. Chr.) Callimachus gloriam assecutus sit. at verbum celebrandi eadem a Gellio vi adhibitum est, quam in Graecis γέγονεν ἤκμαζεν aliis saepe deprehendimus. praetera illa 'neque diu post' parum sunt accurata, quam ut eis hac in quaestione quicquam proficiamus. ex hoc igitur loco concludi nil potest. neque mihi dubitationes iniecerunt qui terminum remotiorem Callimachi morti destinarunt Couatius (pg. 48) qui ad olymp. 135, Heckerus (p. 18) Seemannus (pg. 11 sq.) Keilius (p. 236) qui ad ol. 139 rettulerunt. Keilius invenisse sibi videtur Callimachum ad senilem aetatem esse provectum. Battiades sane non dubium quin a Statio[19]) senex vocetur, quod cum epigrammate XXI collatum ad senectutem poetae spectare ait Keilius. nimirum si ita esset, cum ex mea computatione Callimachi vita intra ol. $\frac{117}{118}$ et 133 coerceatur, ille, qui ad summum septuaginta annos vixit, aegre epitheto senis significaretur. priusquam vero uberius disseram, de epigrammate nonnulla moneam oportet. est epitaphium illud superbum, quod sibi ipse scripsit Callimachus, cuius ad hanc quaestionem pertinent versus duo postremi: Μοῖσαι γὰρ ὅσους ἴδον ὄμματι παῖδας μὴ λοξῷ πολιοὺς οὐκ ἀπέθεντο φίλους. sed hos versus non de se ipso esse locutum Callimachum, sed in universum admodum probabile est. sensus enim est hic. quem semel diligunt Musae, in eum semper benigno sunt

[18]) In epigr. LI Berenice celebratur, ut inscriptione quam habet epigr. in Anthol. Palat. apparet neque dubitari potest: εἰς τὴν γυναῖκα Πτολεμαίου Βερενίκην. tamen Couatio (p. 43) assentiri nolim, qui propter hanc inscriptionem Callimachum annos complures ultra nuptias illas vixisse censuit. nihil enim obstat, quominus epigramma in anno nuptiarum ipso 247 vel paulo post ponamus. praeterea hoc lemma non ad fontem antiquum redit, sed ex carminis ipsius interpretatione sumptum est.

[19]) Silv. I. 2. 253: 'hunc ipse choro plaudente Philetas Callimachumque senex Umbroque Propertius antro ambissent laudare ducem' ... omissum est a Keilio exemplum, quod exstat apud Petron. cp. 135: 'qualis in Actaea quondam fuit hospita terra digna sacris Hecale, quam Musa loquentibus annis Battiadae veteris mirando tradidit aevo', ubi Naekius (De Callimachi Hecale, Bonn. 1829, pg. 10) dubitat, num pro 'veteris' rectius scribatur 'vatis'. sed causam non video.

animo; atque ut est poeta, haec ‘semel’ et ‘semper’ pulcris sententiis adumbrare maluit quam expressis verbis efferre. est igitur locus qui vocatur communis, qui ad omnes homines aetatesque aptus adhibetur a poeta; neque aoristi qui leguntur ἴδον et ἀπέθεντο habent suam vim, sed sunt qui vocantur gnomici. itaque hoc epigrammate minime demonstrari potest Callimachum vitam suam ad tempus quoddam serius produxisse.[20])

Verum ad Statium ut revertar, in verbo ‘senex’ nihil aliud intellego nisi epithetum merum, quo aetatis descriptio hominis cuiusdam omnino non continetur. atque quam causam Statio fuisse arbitraris, ut inter tres poetas allatos Callimachum solum senem fuisse narret aut omnino hoc loco, ubi minime est ad rem, a e t a t e m eius commemorarit?[21]) miror, quod tam vaga opinio et statui et accipi potuerit. hoc enim attributo utebantur veteres, ut hominem quendam ante haec multa vel ne multa quidem saecula iam mortuum significarent, aut si hoc non placet, prorsus aliter non adhibuerunt quam alia epitheta. ita invenimus senes permultos vocatos, id quod exemplis nonnullis, in quae in legendo incidi, iam comprobabo. H e s i o d u s appellatur A s c r a e u s s e n e x a Vergilio (Eclog. 6. 70), T h e o c r i t u s s e n e x S i c u l u s a Statio (Silv. III. 151 cf. Hempel. Quaest. Theocr. pg. 18), A n a c r e o v i n o s u s s e n e x ab Ovidio (Art. amator. III. 330), H o m e r u s s e n e x a Propertio (III. 33b, 27. cf. Dilthey. De Call. Cydippa pg. 3). L u c i l i u s P a c u v i u s A c c i u s vocantur s e n e s ab Horatio (Sat. II. 1. 32. cf. Teuffel. Roem. Litt.-Gesch.[3] pg. 233. Ep. II. 1. 55). nullo exemplo ad magnum annorum numerum respici in propatulo est.

Itaque de Callimachi aetatis adumbratione, quam omnibus veterum qui huc spectant locis[22]) diligentissime inquisitis et observatis veram me investigasse mihi videor[23]), iam ita statuo, ad octoginta annos, quem numerum omnibus ferme huius temporis hominibus litteratis attribuerunt sive potius decreverunt Ritschelius quique eum secuti sunt, aetatem non produxisse Callimachum. quamvis ad summam

---

[20]) Schneiderus, qui epigr. XXXV cum hoc coniungendum censuit, ea argumentatione utitur, in qua refellenda tempus meum prodigere nolim. atque admodum miror, quod Wilamowitzius (vid. eius not. ad epigr. XXI) Schneiderum laudare videtur.

[21]) Schneiderus item fere sensit; cf. Call. II. pg. 40. n. 1.

[22]) De loco quem quasi gravissimum adhibuit Keilius γηραιῷ δὲ τῷ Κυρηναίῳ ἐπεβάλετο Ἄρατος (vit. Arati IV) supra egi.

[23]) Callimachi epigramma XXIII post obitum atque apotheosin Arsinoes uxoris Philadelphi esse scriptum vidit Wilamowitzius (Antig. v. Karyst. pg. 23 cf.

senectutem non vixerit, tamen ille, qui ab adulescentia inceperat libros et scribere et edere, si sexagesimum quintum vel etiam septuagesimum annum agens decessit, libros octingentos, quos commemorat Suidas, scripsisse sane potest.

Pauca sunt quae addenda videantur. si eis quae disputavi tibi persuasi, haud mirabere, quod tota hac quaestione, quam de Cyrenaeo institui, de bibliothecae cura ipsa, quam invenit tamque acriter defendit Ritschelius, nescio an nullo verbo locutus sum. neque enim fuit bibliothecarius Callimachus, cui hic titulus a nullo auctore tribuitur, neque esse potuit quem ante Zenodotum ipsum primum librorum custodem de vita decessisse iam constat. relinquamus proinde Callimachum adeamusque ad eum, qui proximus bibliothecarius appellatur et habetur.

De Eratosthene.

Eratosthenis exstat vita apud Suidam, quam totam exscribendam censui.

Ἐρατοσθένης Ἀγλαοῦ, οἱ δ᾽ Ἀμβροσίου[1]), Κυρηναῖος, μαθητὴς φιλοσόφου Ἀρίστωνος τοῦ Χίου, γραμματικοῦ δὲ Λυσανίου τοῦ Κυρηναίου καὶ Καλλιμάχου τοῦ ποιητοῦ. μετεπέμφθη δ᾽ ἐξ Ἀθηνῶν ὑπὸ τοῦ τρίτου Πτολεμαίου καὶ διέτριψε μέχρι τοῦ πέμπτου. διὰ δὲ τὸ δευτερεύειν ἐν παντὶ εἴδει παιδείας, τοῖς ἄκροις ἐγγίσαντα, Βῆτα ἐπεκλήθη· οἱ δὲ καὶ δεύτερον ἢ νέον Πλάτωνα, ἄλλοι πένταθλον ἐκάλεσαν. ἐτέχθη δὲ ρκϛ´ ὀλυμπιάδι καὶ ἐτελεύτησεν π´ ἐτῶν γεγονώς, ἀποσχόμενος τροφῆς διὰ τὸ ἀμβλυώττειν, μαθητὴν ἐπίσημον καταλιπὼν Ἀριστοφάνην τὸν Βυζάντιον, οὗ πάλιν Ἀρίσταρχος μαθητής. μαθηταὶ δ᾽ αὐτοῦ Μνασέας καὶ Μένανδρος καὶ Ἄριστις. ἔγραψε δὲ φιλόσοφα καὶ ποιήματα καὶ ἱστορίας, ἀστρονομίαν ἢ καταστερισμούς, περὶ τῶν κατὰ φιλοσοφίαν αἱρέσεων, περὶ ἀλυπίας, διαλόγους πολλοὺς καὶ γραμματικὰ συχνά.

Natus igitur est Eratosthenes olymp. 126 idque anno olympiadis primo $\left(\frac{276}{275}\right.$ a. Chr.), ut statim, ubi de ratione, quae inter Eratosthenem et Zenonem stoicum intercesserit, erit sermo, atque denuo ubi de Aristophane acturus sum, me demonstraturum esse spero.

---

pg. 338). mortua est Arsinoe compluribus ante fratrem annis; cf. Wiedemannum, Die Chronologie der Arsinoe Philadelphos (Mus. Rhen. XXXVIII. pg. 387).

[1]) Ἀγλαός Eratosthenis pater appellatur in Anthol. Pal. VII. 78, ut benigne me monuit Leo, qui ipse nomen Ambrosii a poetae cuiusdam commemoratione originem trahere arbitratur.

habuit eandem atque Callimachus patriam Cyrenen, ubi tamen non multum temporis vixisse videtur, cum unus Cyrenaeus Lysanias eius magister nominetur, alii plures ab Eratosthene nisi extra patriam audiri non potuerint. hos inter magistros fuerunt Zeno stoicus (cf. Strab. I. 15 ὃς [Ἐρατοσθένης] τοῦ Ζήνωνος τοῦ Κιτιέως γνώριμος γενόμενος Ἀθήνησιν κτλ.) et Callimachus (Suid.), quorum alter domicilium Athenis collocarat, alter Alexandreae floruit. Zeno vita decessit ol. 129.1 (264 a. Chr.)[2]) senili iam aetate oppressus, ut credi vix possit (cf. Klippelium, Alexandr. Mus. pg. 140 n. 2) Eratosthenem auditorem aut discipulum Citiensis fuisse. sed utut est, hac Eratosthenis cum Zenone consociatione apertum videtur annum illius natalem non esse tertium vel quartum olympiadis 126, sed ipsum primum. etenim vel id aegre fero, quod puer duodecimum demum annum agens etsi praeclarissima ingenii indole, qualem fuisse novimus Eratosthenem, a philosopho isto in disciplinam, vel si mavis, in familiaritatem receptus vocetur, ut etiam remotiorem annum ipse propositurus essem, nisi obstaret Suidas, qui olympiadem ipsam praebet.

Quamdiu Athenis versatus fuerit Eratosthenes nescimus, cum quae Suidas tradit Euergetam eum Athenis Alexandream arcessivisse Athenaei testimonio refutari hodie constet. Athenaei verba sunt (VII. 276 b) ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Λαγυνοφόρια ἑορτή τις ἤγετο, περὶ ἧς ἱστορεῖ Ἐρατοσθένης ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ συγγράμματι Ἀρσινόῃ. λέγει δὲ οὕτως· ‘τοῦ Πτολεμαίου κτίζοντος ἑορτὴν καὶ θυσιῶν παντοδαπῶν γένη καὶ μάλιστα περὶ τὸν Διόνυσον, ἠρώτησεν Ἀρσινόη τὸν φέροντα τοὺς θαλλούς, τίνα νῦν ἡμέραν ἄγει καὶ τίς ἐστιν ἑορτή . . . ὡς δ’οὗτος ἀπεχώρησεν, ἐμβλέψασα πρὸς ἡμᾶς συνοίκιά γ’ἔφη ταῦτα ῥυπαρά’ κτλ. respexit igitur illa ad Eratosthenem ipsum. Arsinoe cum mortua sit nonnullis ante coniugem annis, fortassis anno 250 (ol. 132.3), hoc anno Eratosthenem Alexandreae iam fuisse patet.

Confirmatur hic Athenaei locus etiam a grammatico Ambrosiano priore, quem edidit Keilius, ipse quidem eius auctoritatem minoris aestimans quam alterius. nimirum vir doctissimus fidem prooemii Tzetziani prioris vehementius impugnat, quod nonnulla praebeat, quae luculenter falsa sint quaeque in altero prooemio a Tzetza ipso retractentur atque corrigantur. sunt verba, quae hanc Keilii indignationem effecerunt, haec (cf. Ritschel. opp. I p. 199 in fin.) Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς καὶ Λυκόφρων ὁ Χαλκιδεύς . . . . τὰς σκηνικὰς διωρθώσαντο βίβλους . . . . συμπαρόντος αὐτοῖς καὶ συνανορθοῦντος καὶ τοῦ

[2]) Vide Rohdium in Mus. Rhen. XXXIII pg. 623. cf. etiam Hempelium, Quaest. Theocr. pg. 70.

τοιούτου βιβλιοφύλακος τῆς τοσαύτης βιβλιοθήκης Ἐρατοσθένους. haec vero fabulosa cur dicantur a Keilio (pg. 231) non intellego, cum mea sententia eis nihil comprobetur nisi Eratosthenem tempus quoddam cum viris illis praeclaris una fuisse in bibliotheca, quod etiam Tzetzae testimonio destitutis ex rerum ipsa consideratione summa cum veri similitudine esse concludendum confiteor. itaque ut tempus, quo iter Alexandrinum fecit Eratosthenes, certius definiatur, anno ipso, ante quem Athenis demigravit, ferme noto nescio an ita sit statuendum eum ol. 130 exeunte aut ol. 131 ineunte, at certe ante ol. 132 Alexandream pervenisse. habuit illo tempore plus viginti annos atque tum Alexandream profectus est, cum Alexander Lycophro Zenodotus florebant. eodem fortasse tempore in museum bibliothecamque receptus est viditque omnes illos viros, qui litterarum florem et scientiarum incrementa Alexandreae inaugurarunt. nam quin ea aetate quam indicavi tres illi viri celebres inter vivos etiam fuerint, dubitari non potest. etenim Zenodotus obiit, ut supra est demonstratum, circa ol. 136, Alexander floruit circa ol. 130 [3]), Lycophro [4]), de quo certi nihil memoriae traditum est, eo tempore vixisse sane potest, quo Eratosthenes Alexandream advenit.

De Eratosthene idem legimus, quod de Callimacho tradit Tzetza: νεανίαι ἦσαν Καλλίμαχος καὶ Ἐρατοσθένης, quae verba ne addubites oportet, cum eodem tempore hos νεανίας fuisse eis omnino non indicetur. fuit igitur Eratosthenis provincia eadem atque ante eum Callimachi, cui adulescenti res minores et leviores in bibliotheca esse commissas supra exposui. collegas aegre eos nomines, qui aetatum tam longo intervallo seiuncti fuerint, ut Callimachus gloriam summam assecutus iam sit, cum Eratosthenes litterarum primitias carpsit. cum his bene consentit Suidas, qui Eratosthenem Callimachi vocat discipulum. Cyrenae fuisse non potest, neque est, cur cum Weicherto (Leben u. Ged. d. Apoll. v. Rh. pg. 21) Eratosthenem, antequam Athenas profectus sit, aliquantum temporis Alexandreae iam versatum fuisse

---

[3]) Passovius ol. 135; cf. Meinekium, Anal. Alex. pg. 216. rectior videtur ol. 130, ne cum Meinekio in ol. 125 incidam. florem enim Alexandri, qui satis multis locis Philetae Callimachi Arati Apollonii σύγχρονος vocatur, in illa olympiade esse collocandum ex verbo isto σύγχρονος certe non concludo.

[4]) Quaedam nuper ingeniose investigavit Wilamowitzius, qui (De Lycophronis Alexandra, progr. Gryphisw. 1883 pg. 10 sqq.) Alexandram intra annos 300 et 290 a. Chr. Chalcide esse scriptam cum censeat, mihi omnino persuasit. posthac in Aegyptum transmigrasse videtur Lycophro.

arbitremur [5]). nil igitur restat, nisi ut eo demum tempore quod statui Eratosthenem Callimachi discipulum fuisse persuasum habeamus memoresque semper simus, quam vaga sit vocis μαθητής vis atque ambitus.

Bibliothecae cura num ad Eratosthenem delata sit, apud Suidam quod non legimus, satis miramur. sed nulla alia re id factum est nisi Suidae neglegentia, qui s. v. Ἀπολλώνιος Ῥόδιος recte bibliothecarii titulum Eratostheni attribuit. praeterea advocandus est Tzetzes, qui utroque prooemio hoc Eratosthenis munus apertis verbis commemorat. sed de tempore, quo bibliothecam susceperit Eratosthenes, mirum quantum inter se distant viri docti, ut hic (Keilius) ol. 133 iam bibliothecarium eum esse factum velit, ille (Semannus l. l. pg. 13) [6]) ad ol. 139 respiciat. qui mediam quandam protulit sententiam Ritschelius (pg. 66 sq.), ne ille quidem laudandus videtur, quippe qui splendide at nimia licentia usus argumentatus sit. Keilius ut Eratosthenem duodetriginta solos annos agentem ad bibliothecam iam accessisse statueret, perductus est falsa sua computatione, qua fretus Zenodotum ol. 133 obeuntem facit. atque cum Callimachum merito bibliothecarium non fuisse existimet, aliud vero nomen non tradatur, cumque praeterea Athenaei locum, quem supra posui, non nosset, aptissimum ei visum est cum novo rege novum quoque bibliothecae custodem esse factum. at quanta in hac opinionum coniunctione audacia, quanta in singulis a veri specie aberratio. Athenis versatur Eratosthenes studiis suis admodum strenue deditus, ut magis ipse didicisse quam docuisse videatur. atqui statim post Zenodoti mortem regem arcessivisse eum arbitratur Keilius, quem doctissimum fuisse vel eo tempore libenter concedo, sed qui neque bibliothecam cognovit, neque quantus esset eius muneris ambitus, neque quae officia, neque quibus ipsius ad provinciam bene administrandam viribus opus esset compertum habuit. praeter haec gravissima, ut mihi videntur, etiam alia atque ea gravia Keilio opponere debeo. causa enim nulla invenitur, cur Zenodotus eodem ipso anno mortuus esse existimetur, quo Philadelphus rex decessit. atque si hoc anno occubuisset Zenodotus, num Euergetes animum eo induxisse potest, ut, ne bibliotheca orba esset, A t h e n i s hominem quendam doctum arcesseret? plenius supra ostendi, qualis fuerit illius temporis condicio. etiam ante patris ipsius mortem ut bellum in Syria gereret Aegyptum reliquerat Euergetes, revertit ol. 133.4, ut demonstratum est a me. tum vero reversus et regni statum, qui seditione ista labe-

[5]) Cf. quae supra de Zenone Eratosthenis magistro disputavi.

[6]) Semanno bene oblocutus est Couat. l. l. pg. 44 n. 2.

factatus erat, stabilire debuit et sine dubio multa alia et graviora exsequenda habuit, et si conicere mihi licet, fortassis in Syriam iterum profectus est, ut in tantis turbis litterae artesque, quas quidem eodem ac pater amore amplexus tenuit, non ita multum cordi ei esse possent. at si in Syriam rediturus Zenodotum esse mortuum bibliothecamque vacare audivit, nonne aptius videtur Euergetam Alexandrinum quendam bibliothecarium instituere maluisse quam hominem peregrinum eumque admodum iuvenem hoc munere exornare?

Iam omissis eis quae Ritschelius solita sagacitate et acumine at parum probabiliter excogitavit statim ad Eratosthenis decessum explicatius describendum procedam. occidit sua manu, cf. Suid. ἐτελεύτησεν π' ἐτῶν γεγονώς, ἀποσχόμενος τροφῆς διὰ τὸ ἀμβλυώττειν. sed annorum quos assecutus est Eratosthenes ab aliis alius affertur numerus, a Pseudoluciano (Macrob. 27) LXXXII, a Censorino (de die natali 15) LXXXI.[7]) ergo ut cum Semanno Censorino ut testi inter illos optimo fidem maximam habeamus, ol. 146.2 mortem sibi conscivit, id quod Ritschelius ipse negare non potest. sed dubitavit, num usque ad hoc tempus munus suum tenuerit. Aristophanes enim Suida auctore γέγονε circa ol. 144, qua ex re Ritschelius conclusionem fecit hac olympiade bibliothecarium eum esse factum[8]), Eratosthenem autem sponte munus suum deposuisse compluribus iam annis ante mortem. atque causam, cur ita fecerit Eratosthenes, posuit in oculorum illa infirmitate, quam Suidas commemorat. difficultas alia haec Ritschelio visa est, quod ante Aristophanem Apollonius etiam vocatur διάδοχος Ἐρατοσθένους in bibliothecae administrandae munere, adeo ut hic quoque in annos illos, qui ista Eratosthenis abdicatione efficiuntur, quocumque modo inserendus ei sit. haec est argumentatio Ritschelii, sagax quidem illa, sed nimiis et audacioribus coniecturis defensa. licet cum alii tum Merkelius (prlgg. ad Apoll. Rhod. pg. XIII) lubenter Ritschelio assensus sit, tamen easdem mihi dubitationes ultro esse motas profiteor, quas prolatas invenio a Seemanno (l. l. pg. 13),

---

7) In tanto auctorum consensu admodum miror, quod Meinekius, Anal. Alexandr. pg. 174 Eratosthenem ab ol. 126 usque ad ol. 149 vixisse pronuntiat.

8) Rectissime E. Rohdius (Ueber γέγονε bei Suidas, Mus. Rhen. XXXIII pg. 167 n. 2) propterea Aristophanis ἀκμήν a Suida in ol. 144 esse positam observavit, quia compilator iste saepe in flore viri cuiusdam destinando ubi non regis nomen adhibuerit, eam olympiadem ponere solitus sit, ubi prima post eius successionem Olympia celebrata sint. Epiphanes rex est factus ol. 143.4, ol. 144.1 certamina sacra ipsa acta sunt, ad quae Suidas hac in vita respicit.

qui ita disputavit: ‘si iam ante ol. 144 ob eam causam munus suum deponere ac studia doctrinae intermittere coactus erat, suspicari licet eum decimo anno exeunte ita condicioni atque fortunae suae adsuesse, ut vitam inedia finire animum non induxerit.’ quae omnino mihi probantur; nam eodem iure, quo ol. 144, etiam ol. 143 sive alia quaelibet poni potest, qua Eratosthenes a bibliotheca recesserit. sed res ipsa contra Ritschelium loqui videtur. verba enim Suidae ἐτελεύτησεν ἀποσχόμενος τῆς τροφῆς διὰ τὸ ἀμβλυώττειν si accurate explicamus, alium non admittunt sensum nisi hunc: Eratosthenes ubi primum oculorum aciem perdidit, ita desperavit, ut ultro mortem occumberet. itaque oculorum recreationem petiit remediis quibusdam adhibitis, quae cum non ita sibi prodessent, ut negotia sua iterum suscipere posset, diutius in vita manere noluit, ubi luctus et maerores quam maximi animique cruciatus et tormenta satis multa ei impendebant, quae omnia ut vitaret quid melius duxisse potest quam mortem ipsam? sed ut certissimum est Eratosthenem infirmitatem illam primo quidem neglexisse, tum vero in eius incrementis medicum quendam adiisse, ita etiam de intervallo, quod inter morbi initia et obitum intercesserit, dubitatio maior esse non potest. de annis compluribus interpositis omnino cogitandum non est, ne de multis quidem mensibus, ut potius post brevissimum tempus Eratosthenis mentem ita luctu et desperatione esse circumfusam suspicer, ut per longos etiam annos vitam ferre nollet, quae ei vita haudquaquam fuit.

Quare ut omnia quae adhuc disputavi breviter complectar, haec mihi probabilis (nam ad probabilitatem cuncta redeunt) rerum imago videtur esse. Eratosthenes senectute iam pressus etiam oculos infirmos factos cum doleret, acie eorum nulla arte refecta dolores et corporis et animi nullo modo tulit, ut inedia mori sibi proponeret. at cum non multo post quam morbo illo correptus est, Eratosthenis etiam decessus videatur statuendus, si hunc annum ipsum indicare possumus, iam habemus terminum, usque ad quem bibliothecae cura penes Eratosthenem fuit. quapropter cum unum et octogesimum annum agens mortuus sit Eratosthenes, quem esse natum ol. 126.1 verisimile est [9]), diem supremum obiit ol. 146.2 (195 a. Chr.) [10]). itaque hoc demum anno recens bibliothecarius designatus esse potest.

---

[9]) Hunc Eratosthenis annum natalem statuit ipse Vitruvius.

[10]) Koepkius (De Arati Solensis aetate, pg. 15 n. 29) Vitruvio nititur, qui ad Epiphanis regis annum duodecimum aetatem produxisse Eratosthenem dicit. hic annus fuit ol. 146.3. sed quominus architecto huic fidem habeamus, alia eius de rebus Alexandrinis errata vel gravissima impediunt. cf. Keilium pg. 231.

De Apollonio.

Eratostheni in bibliotheca administranda qui successit, si veteres audimus, fuit Apollonius qui scripsit Argonautica. Suid. s. v. Ἀπολλώνιος Ἀλεξανδρεύς· ἐπῶν ποιητής, διατρίψας ἐν Ῥόδῳ, υἱὸς Σιλλέως, μαθητὴς Καλλιμάχου, σύγχρονος Ἐρατοσθένους καὶ Εὐφορίωνος καὶ Τιμάρχου, ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Εὐεργέτου ἐπικληθέντος, καὶ διάδοχος Ἐρατοσθένους γενόμενος ἐν τῇ προστασίᾳ τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βιβλιοθήκης. decessit Eratosthenes ol. 144, ut qui eius fuit successor, neque ante ol. 126 neque post ol. 136 natum eum esse libenter mihi concedas. ideo quaeratur, num haec tempora conveniant cum eis, quae de vita Apollonii aut scimus aut investigare possumus.

Praeter Suidae glossam duae sunt servatae vitae, quas invenias in Westermanni biographis gr. minoribus pg. 50 sq. atque in Merkelii Argonauticis (editas post scholia). natali de Apollonii anno quamvis et illae nihil tradant, tamen visum est mihi iam nunc de eis plenius disserere, ut quibus magna inquisitionis sequentis pars nitatur. uterque narrat biographus Apollonium esse Alexandrinum, filium Sillei (aut Illei), Callimachi discipulum; carmen scripsisse eoque male a civibus accepto patriam reliquisse seque contulisse Rhodum, ubi emendarit correxeritque. ibi statim magnam gloriam esse assecutum, ipsa civitate donatum, scholam instituisse. haec sunt, quae apud utrumque auctorem leguntur, cetera sunt multa, quae in altero exstent, in altero desint. ita tamen est ratio, quae inter vitas duas intercedit, ut in priore nihil ferme sit, quod in altera non redeat, alterius vero non pauca in priore desiderentur. sed cave hanc ob rem conclusionem facias ex altera vel potius ex alterius fonte ipso esse priorem derivatam. immo contrarium ipsum videtur statuendum: permulta enim eaque gravia sunt, quibus ut hanc comprobem sententiam adducor.

Ut primis ipsis vitae prioris verbis Ἀπολλώνιος ὁ τῶν Ἀργοναυτικῶν ποιητὴς [1]) τὸ μὲν γένος κτλ., ad quae adiungenda, quae infra leguntur ὀψὲ δὲ ἐπὶ τὸ ποιεῖν ποιήματα ἐτρέπετο, apparet, ex libro quodam sumpta videntur, qui nescio an inscriptus fuerit περὶ ποιητῶν. auctor huius operis aut, si mavis, auctor ille, quem excerpsit biographus, procul dubio Alexandrinus fuit, id quod re ipsa optime cum comprobetur, etiam hac re patet, quod tribus ipsa affertur, a qua oriundus erat Apollonius. haud exiguam biographi qui

[1]) At cf. biogr. II. συντάξας ταῦτα τὰ ποιήματα, quae verba spectant ad vitam iam retractatam scholiisque adiectam.

eam cognovit auctoritatem appelles, cum ‘praeter hunc locum phylarum Alexandrinarum, ut erant ante Philopatorem, nomina non memoriae tradita sint’ (cf. Meinekium, Anal. Alex. pg. 348). premendum etiam videtur, quod Callimachus solo nomine a biographo inducitur, qua ex commemorationis ratione sic notum opinor illius nomen auctoris aetate etiam fuisse, ut attributo quodam velut ποιητής sive γραμματικός apposito explicare noluerit. — Quae sequuntur τὸ μὲν πρῶτον συνὼν Καλλιμάχῳ τῷ ἰδίῳ διδασκάλῳ· ὀψὲ δέ κτλ. aegerrime feruntur, cum neque ad ea quae post ea leguntur neque ad ea quae antecedunt aggregari possint. sunt ineptissima [2]), quibus novi omnino nihil additur, ut in brevius esse contracta a biographo videantur quae ipse integra legerit apud auctorem suum [3]). — Cetera, quae ad infortunium illud Apollonii posteramque eius vitam pertinent, omnia bene cohaerent. Apollonius, cum eidem carmini, quod Alexandreae improbatum erat, benigne aures praeberent Rhodii poetamque ipsum laudibus efferrent, tam habuit gratum in eos animum, ut patriam quasi abiuraret seque Rhodium ipse appellaret. nonne haec una cognominis illius apta explicatio esse videtur? exitus vitae ἐπαίδευσε δὲ λαμπρῶς ἐν αὐτῇ καὶ τῆς Ῥοδίων πολιτείας καὶ τιμῆς ἠξιώθη perspicuus est: scholam quandam instituit Rhodi Apollonius, cui tanta sollertia atque felicitate praefuisse dicitur, ut ipsa civitate donaretur.

Altera vita quod nomen matris Apollonii praebet magni non aestimo. maioris momenti est, quod Apollonius Callimachi ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὄντος γραμματικοῦ discipulus vocatur. quibus ex verbis concludendum videtur biographum ipsum Alexandreae non vixisse aut fuisse tempore eo, quo Callimachi nomen in tantam oblivionem iam devenerit, ut hoc ei opus visum sit epitheto. Sequitur narratio illa de Apollonii peregrinatione: καὶ σοφιστεύει ῥητορικοὺς λόγους, ὅθεν αὐτὸν καὶ Ῥόδιον ἀποκαλεῖν βούλονται [4]). ergo Rhodius

---

[2]) Lehrsio (De Arist. st. Homer. pg. 16. n.) haudquaquam assentiendum est, qui verbis τὸ μὲν πρῶτον συνών non institutionem, sed contubernium Apollonii et Callimachi significari censuit, adeo ut in eadem domo habitaverint et magister et discipulus.

[3]) Excidisse quaedam suspicor, quae inter enuntiata τὸ μὲν πρῶτον . . . . . . et ὀψὲ δέ . . . . olim fuerint. nam verbum ὀψέ verbo πρῶτον minime respondet. offendit etiam in hoc verbo Couatius l. l. pg. 498 n. Bernhardius (Griech. Litt.-Gesch.[2] II. 1. pg. 301) a grammatico vel a librario quodam esse inventum hoc verbum affirmat, qui ordinem quendam in rerum turbam ferre studuerit.

[4]) Apud Westermannum haec ita leguntur ὅθεν καὶ Ῥόδιον αὐτὸν ἀπεκάλεσαν. verbis biographi Laurentiani quamvis mendum quoddam contineri videatur, sententia ipsa dubia non est.

appellatus est (vel se ipse appellavit), quod scholas rhetoricas habuerit ut omittam, quod quidem neglegendum vix videtur, aliam eamqu aptiorem causam cognominis illius exstare in vita priore, Apollonium artem rhetoricam Rhodi exercuisse minime credere possum. nihi enim memoriae traditum est, quod ad Apollonii studia rhetorica spectet, ut mireris eum, qui tam splendide ab hoc biographo orator vel dicendi praeceptor vocetur, praeter hunc locum nusquam laudari. adde quod Apollonius poeta erat, quem mente et ingenio ad studia grammatica et geographica et historica et similia ultro esse adductum scimus, at qui ut omnes fere docti Alexandrini illius temporis ab rhetorica abhorruerit. sed quaeras, unde biographus sua sumpserit. sumpsit e vita priore, ut hac re optime appareat biographum alterum priorem (vel eius ipsum fontem) ante oculos habuisse, sed exornasse et amplificasse quae ibi legerit. repperit verba ἐπαίδευσε λαμπρῶς, quibus sane nihil indicatur nisi Apollonium scholam quandam grammaticam aperuisse. biographus vero hic aliam intellexit verborum sententiam, quam ut statueret, verbo παιδεύειν perductus est. huius enim verbi paulatim vis ita commutata est, ut non iam educatio vel institutio litteraria, sed ipsa disciplina sophistica sive rhetorica eo significaretur. cf. Suid., qui verbo παιδεύειν saepissime utitur. παιδεύειν ‹educare› exstat s. v. Ἐπαφρόδιτος . . . παιδεύσας τὸν υἱὸν Μοδέστου, alibi. παιδεύειν de institutione grammatica invenias sescenties; cf. s. Ζηνόδοτος Ἐφέσιος, Ἡρακλέων Αἰγύπτιος, Πτολεμαῖος Ἀσκαλωνίτης. παιδεύειν rhetorem esse s. v. Γενέθλιος, Τρώιλος, Φιλόστρατοι. tam lata facta est huius verbi similiumque vis, ut παιδεύειν ad oratores, σοφιστεύειν ad grammaticos relatum sit, cf. Suid. s. v. Σέλευκος Ἀλεξανδρεύς, γραμματικός: ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ. Τυραννίων Ἀμισηνός, Τυραννίων ὁ νεώτερος, Ὧρος Ἀλεξανδρεύς, Φιλόξενος Ἀλεξανδρεύς. — Ita etiam hic Apollonii biographus cum apud auctorem suum verbum παιδεύειν legisset, aetatis morem secutus id ad institutionem oratoriam rettulit. nimirum cognitum ipse habuit in insula illa floruisse olim rhetoricam, quam ibi primus coluit Aeschines, et ille patria profugus. inde ab illa aetate hac exercenda arte Rhodus erat insula nobilissima, ut coniectura ista biographi — aliter enim nominanda non est — de Apollonio audacior esse non videatur. attamen nos, qui veram rerum rationem exquirimus, huius vitae auctoritatem profecto minorem habebimus quam prioris.

Ut iam complectar quae adhuc disserui, haec probabilis rei videtur esse species. quae narrat biographus prior ea ipsa — excepto loco isto, quem esse suspectum vel corruptum iure censui — bona

sunt interque se mire congrua, ut, si una haec nobis servata esset vita, nemo de eius integritate dubitaturus esset. cumque etiam, ut mihi quidem videtur, vita altera quae cum priore habet communia ea ex hac transtulerit ipsaque sit scripta multis post eam saeculis, in vita Apollonii describenda non ad hunc secundarium, ut ita dicam, sed ad primarium fontem ipsum respiciamus oportet. habet enim vita II quaedam, quae gravissima videntur semperque vera habita sunt a viris doctis, quamquam non defuerunt, qui dubitare quodammodo ausi sint.[5]) sed haec, quae in calce vitae leguntur, (ut neglegam quod iam de totius vitae pretio atque auctoritate disserui) infra ostendam falsissima esse atque inepte a grammatico quodam inventa. nunc libet vitas in uno conspectu ponere, ut quantopere pendeat a priore altera intellegatur.

Γένος Ἀπολλωνίου τοῦ ποιητοῦ τῶν Ἀργοναυτικῶν. (α΄)	Ἀπολλωνίου βίος. (β΄)
Ἀπολλώνιος ὁ τῶν Ἀργοναυτικῶν ποιητὴς τὸ μὲν γένος Ἀλεξανδρεύς, υἱὸς δὲ Σιλλέως, ὡς δέ τινες, Ἰλλέως,	Ἀπολλώνιος ποιητὴς τὸ μὲν γένος ἦν Ἀλεξανδρεύς, πατρὸς δὲ Σιλλέως ἤτοι Ἰλλέως,
	μητρὸς δὲ Ῥόδης.
φυλῆς Πτολεμαΐδος.	
ἐγένετο δ᾽ ἐπὶ τῶν Πτολεμαίων Καλλιμάχου μαθητής,	οὗτος ἐμαθήτευσε Καλλιμάχῳ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὄντι γραμματικῷ
τὸ μὲν πρῶτον συνὼν Καλλιμάχῳ τῷ ἰδίῳ διδασκάλῳ . . . (hic desunt quaedam).	
ὀψὲ δ᾽ ἐπὶ τὸ ποιεῖν ποιήματα ἐτρέπετο. τοῦτον λέγεται ἔτι ἔφηβον ὄντα ἐπιδείξασθαι (em. Keilius; cdd. ἐνδ.) τὰ Ἀργοναυτικὰ καὶ κατεγνῶσθαι,	καὶ συντάξας ταῦτα τὰ ποιήματα ἐδείξατο. σφόδρα δ᾽ ἀποτυχὼν

[5]) Cf. Ritschel. opp. I. p. 68 . . . Dass er so lange auf Rhodos zubrachte, geht aus den grossen Ehren, die ihm dort zu teil wurden, hervor; und dass er erst spaeter nach Alexandrien zurueckkehrte und nur noch kurze Zeit dort wirkte, daraus, dass der eine Biograph dieser Rueckkehr gar nicht gedenkt, sondern in einer Weise erzaehlt, wonach man den Apollonios in Rhodos gestorben und begraben waehnen muesste. — Bernhard. Gr. Litt.-Gesch. II. 1. pg. 304. Noch problematischer

μὴ φέροντα δὲ τὴν αἰσχύνην τῶν πολιτῶν καὶ τὸ ὄνειδος καὶ τὴν διαβολὴν τῶν ἄλλων ποιητῶν καταλιπεῖν τὴν πατρίδα καὶ κατεληλυθέναι εἰς Ῥόδον, κἀκεῖ αὐτὰ ἐπιξέσαι καὶ ὀρθῶσαι καὶ οὕτως ἐπιδείξασθαι καὶ ὑπερευδοκιμῆσαι. διὸ καὶ Ῥόδιον ἑαυτὸν ἐν τοῖς ποιήμασιν ἀναγράφει.

ἐπαίδευσε δὲ (em. Keil; cd. τε) λαμπρῶς ἐν αὐτῇ καὶ τῆς Ῥοδίων πολιτείας καὶ τιμῆς ἠξιώθη.

καὶ τὰ μὲν τοῦ γένους ταῦτα. ἡ δὲ ὑπόθεσις τῶν Ἀργοναυτικῶν Ἀπολλωνίου τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον κτλ. constat his non esse mutilum vitae exitum, sed eam quam nos legimus vitam semper fuisse.

καὶ ἐρυθριάσας

παρεγένετο ἐν τῇ Ῥόδῳ

κἀκεῖ (quae sequuntur verba cum non respondeant, postea ponentur[6]) (ἐνταῦθα) τοίνυν διάγων καὶ ἐπιξέσας αὐτοῦ τὰ ποιήματα εἶτα ἐπιδειξάμενος σφόδρα εὐδοκίμησεν, ὡς καὶ τῆς Ῥοδίων ἀξιωθῆναι πολιτείας καὶ τιμῆς (sic). —
κἀκεῖ ἐπολιτεύσατο (sic) καὶ σοφιστεύει ῥητορικοὺς λόγους, ὅθεν αὐτὸν καὶ Ῥόδιον ἀποκαλεῖν βούλονται.

τινὲς δέ φασιν, ὅτι ἐπανῆλθεν εἰς Ἀλεξάνδρειαν καὶ αὖθις ἐκεῖσε ἐπιδειξάμενος εἰς ἄκρον εὐδοκίμησεν, ὡς καὶ τῶν βιβλιοθηκῶν καὶ τοῦ Μουσείου ἀξιωθῆναι αὐτὸν καὶ ταφῆναι δὲ σὺν αὐτῷ τῷ Καλλιμάχῳ.

---

heisst es (sc. in vit. II), er sei nach Alexandrien zurueckgekehrt; dass er aber als Poet einen grossen Ruhm errungen, ist schwer zu glauben, zumal wenn man auf das Stillschweigen blickt, das die gelehrten aeltern Grammatiker über sein Gedicht beobachten.

6) cave ita transponas κἀκεῖ διάγων καὶ ἐπιξέσας αὐτοῦ τὰ ποιήματα εἶτα ἐπιδειξάμενος σφόδρα εὐδοκίμησεν, ὅθεν αὐτὸν καὶ Ῥόδιον ἀποκαλεῖν βούλονται. ἐνταῦθα τοίνυν ἐπολιτεύσατο, καὶ σοφιστεύει ῥητορικοὺς λόγους, ὡς καὶ τῆς Ῥοδίων ἀξιωθῆναι πολιτείας καὶ τιμῆς. quamvis enim hoc modo facillime difficultates omnes auferantur quae collocatione ista verborum et enuntiatorum existunt, tamen talis esse videtur, ut nemo nisi auctor vitae ipse rudis eam fecerit.

His praemissis ad describendam Apollonii vitam ipsam transeo. natus est Alexandreae,[7]) tempore Ptolemaeorum,[8]) ἔτι ἔφηβος ad carmina fingenda se convertit. egit igitur, si paulo latiorem verbi ἔφηβος vim statuimus, annum sextum decimum vel etiam duodevicesimum, cum Argonautica edidit. idcirco qui eorum aetatem satis certis terminis circumscribat etiam tempus quo natus est poeta ipse indicare potest.

Exstat locus admodum memorabilis in Theocriti carmine VII v. 45 sqq., quibus poeta acerbissime in eos homines invectus est, qui quasi Homeri recentes futuri non, ut aetatis ingenium postulabat, carmina exigua fingerent, sed epicis atque pergrandibus operam darent:

ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ᾽ ἀπέχθεται ὅστις ἐρευνῇ
ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον εὐρυμέδοντος,
καὶ Μοισᾶν ὄρνιχες ὅσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδόν
ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι.

haec respiciunt ad Apollonium Argonauticorum, i. e. carminis Homerici vel potius cyclici auctorem, ut primus vidit Gerhardius (Lect. Apollonian. 1816. pg. 5).[9])

'Thalysia Alexandreae scripta non sine desiderio iucundam recolunt memoriam sodalicii bucolici, cuius olim in Co insula Theocritus Alexander[10]) Aratus Nicias participes fuerunt.' ita breviter Wilamowitzius (De Lycophronis Alexandra, ind. lect. Gryphisw. hib. 1883|84 pg. 13), qui vellem etiam de aetate carminis sententiam suam prodidisset. annus quidem ipse, quo poetae illi una fuerunt Co, facile investigandus videtur, quia Aratus nullo alio tempore ibi commoratus esse potest nisi eo, quo Pyrrhi excursionibus perterritus Pella relicta iter illud Syrium fecit,[11]) quod commemorant biographi Arati I et III.

---

[7]) Cf. biogr. I et II. Suid. Strab. (pg. 601). aliter tradidit Athenaeus (VII. 283 d Ἀπολλώνιος ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἢ Ναυκρατίτης), quem iure refutavit Weichertus (Leben u. Ged. d. Apoll. v. Rh. pg. 5). cf. etiam Bernhardium (Gr. Litt.-Gesch. II. 1. pg. 301). dubitare se fatetur Ritschelius (opp. I. pg. 63), sed mira viri illustris suspicio, quae in uno Athenaeo posita est.

[8]) Ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Εὐεργέτου ἐπικληθέντος Suidas eam ob rem Apollonium vixisse pronuntiat, quod Callimachum, cuius 'discipulus' fuerit Apollonius, istius in regni primordiis esse mortuum ipse cognitum habuit.

[9]) Quae contra protulerunt Merkelius Bergkius Haulerus Couatius (cf. Hempel. Quaest. Theocr. pg. 59) nulla sunt.

[10]) I. e. Aetolus, quem nomine Lycidae esse significatum in Thalysiis Wilamowitzius suspicatur.

[11]) Ita statuit rectissime Koepkius (De Arati Solensis aetate, Gub. 1867. pg. 4). cf. etiam Usenerum in Mus. Rhen. XXIX pg. 42 n. 3.

itaque cum intra annos 274 et 272 bellum illud atrox fuerit, ea ipsa aetate Aratus, qui Syriam petiit, tempus quoddam Co in insula degit.[12]) quae cum vera sint atque ab omnibus fere probentur, neque ante neque post terminum ita destinatum res carminis Theocritei actas esse posse apertum est. atque hoc ipso constituto aetatem carminis ita definio, ut non multo post hoc sodalicium ipsum id esse scriptum confidenter affirmem. sane confitendum est cum Theocritum, licet de anno eius natali memoriae nihil traditum sit, eo tempore vel iuvenem vel ipsum adulescentem fuisse, tum Thalysia omnium eclogarum Theocritearum reginam esse atque perfectissimam. attamen ut cum Hempelio (Quaest. Th. pg. 56) hoc carmen magis Theocrito seni quam iuveni summoque aetatis viriumque flore vigenti adscribam, nullo modo adducor, nisi si aliae eaeque aptiores causae proferentur quam quas proposuit Hempelius. ut taceam de indole totius carminis, quod mihi quidem magis a iuvene quam ab homine iam insenescente scriptum videtur — scilicet de hac re alius aliter iudicabit — at sumi potest aliud ex carminis interpretatione argumentum, quo tempus Thalysiorum prius esse demonstratur, quam Hempelius aliique qui ante eum has res tractarunt statuerunt. versu enim 103 sqq. deus Pan inducitur artissime coniunctus cum Arato, cuius commemorationis causa ab Haulero (De vita Theocriti, dissert. Friburg. 1855. pg. 13) assentiente Usenero (Mus. Rhen. l. l.) iure ea inventa est, quod hymno isto in Panem quem a. 276 Pellae scripserit regique dicaverit Aratus in summum apud illum honorem adductus sit. ad hoc igitur carmen, quod tunc, cum scripta sunt Thalysia, recentius dumtaxat erat omniumque in manibus versabatur, procul dubio allusit Theocritus. sed alludere mea quidem sententia non potuit nisi tempore quod ab aetate hymni longiore spatio seiunctum non est. certe cum Thalysia scripta sunt, hymni memoria nondum extincta erat, quae quidem multis annis post vix tam valida fuisse potest, ut hoc carmine ad illam rem respexerit Theocritus. deus Pan post ipsam illam pugnam, qua Antigonum benevole cum adiuvaret victoriam ei splendidissimam dederat, auctoritate sane tanta erat, ut advocari posset; post magnum temporis intervallum et nomen ipsum et omnis commemorationis illius ratio — etsi iocosam illam esse concedam — lectoribus iam minus erant nota, quam ut bene intellegerent, quamnam ad rem alluderet poeta. ad haec si

---

[12]) Hempelius l. l. pg. 50 sqq., qui omnia fere et quae memoriae tradita sunt et quae sana rerum consideratione inventa a viris doctis pervertere ausus est, tantis erroribus obstrictum se praebet, ut refutatione dignus non videatur.

addis, quod Aratus eo ipso tempore carmen suum celeberrimum phaenomena iam scripserat,[13]) quae quanto favore quantisque laudibus recepta sint Alexandreae optime testatur epigramma illud Callimachi quod servavit biographus Arati I; si, inquam, memoria tenes Aratum ab Alexandrinis in poetarum optimorum numero esse habitum, perquam credibile fit Theocritum, ubi Alexandream pervenerit, statim homines doctos hoc carmine certiores fecisse, quae ipsius fuerit cum viro illo quondam consuetudo atque familiaritas.

Dubium iam non erit, quin Thalysia Theocrito adulescenti sive, si mavis, admodum iuveni facto adscribenda sint Theocritus postquam insulam patriam Siciliam nescio qua causa reliquit, aliquantulum temporis Co commoratus Alexandream ipsam se contulit, ubi et Callimachi et Philadelphi regis familiaritas ut sibi fieret effecit. carminum quae hac aetate in urbe illa finxit primum videtur esse encomium Ptolemaei (XVII), quod a Buechelero (De bucolicorum graecorum aliquot carminibus, Mus. Rhen. XXXIII pg. 53 sqq.) rectissime ad hoc tempus relatum est. ipse spectat vir doctissimus ad a. 270 a. Chr.; qui post eum de his rebus egit Koeppius (Mus. Rhen. XXXIX pg. 210) etiam rectius, ut mihi quidem videtur, tempus aliquantum remotius statuit. nuptiae enim illae Philadelphi Arsinoesque sororis, quas ad celebrandas scripsit encomium Theocritus, circa a. 275 habitae sunt, ut eodem tempore Theocritus aut Alexandreae iam fuerit aut eo advenisse censendus sit. quae aptissime consentiunt cum eis, quae de Theocriti aliorumque poetarum commercio Coensi eiusque aetate supra posui. [14])

Itaque tempore, quo Alexandream venit Theocritus, constituto etiam aetas Thalysiorum magis confirmatur. versus illi confertissimi iuventute florida, quorum ne unum quidem verbum ad auctorem senem respicere p o t e s t, a poeta scripti sunt, qui fuit ea aetate, qua talibus rebus quales enarrantur gaudent homines, qua quae antea acta sunt in memoria recentissima tenentur neque nebulosa, ut ita dicam, ante oculos obversantur. huc etiam referenda sunt extrema ipsa carminis verba ἆς ἐπὶ σωρῷ αὐτὸς ἐγὼ πάξαιμι μέγα πτύον, ubi ex natura optativi illius πάξαιμι apparet multum temporis post actas res interlapsum non esse poetamque ipsum sibi videri sequente fortassis iam

---

[13]) Quae contra disputavit Hempelius (l. l. pg. 93) inepta sunt. de re cf. Koepkium l. l. pg. 5.

[14]) Hempelius l. l. pg. 66 sqq. longam instituit quaestionem de aetate carminis, qua tamen tota ne hilum quidem profecit. melius profecto fuerat, si quae Buechelerus felicissime invenit, ea comprobasset; cuius, ut videtur, ne legit quidem disputationem.

anno rursus solemne Cereris illud celebraturum esse. quae verba utrum magis poetam senem an iuvenem deceant, de ea re mea sententia in ambiguo esse nemo potest.

Iam vero haec est summa eorum quae disputavi. anno 274 (ol. 126. 3) Theocritus per tempus quoddam Co versatus est ibique cum Arato Nicia aliis una fuit; eodem (vel sequente) anno Alexandream transmigravit, ubi primum scripsit encomion Philadelphi regis, deinde tempore haud longo intercedente Thalysia ipsa. atque veri simillimum videtur mihi circa ol. 127. 1 (272) esse scriptum carmen, quod contineat versus illos, quos supra posui, quibus Argonautica Apollonii tam acerbe vituperat Theocritus. atque cum id quidem perspicuum iam nunc sit post a. 270 scriptum esse non posse carmen, Thalysiorum tempore ita destinato ad Apollonium ut redeam opus est.

Argonautica scripta sunt ab Apollonio ἐφήβῳ, qui cum anno 272, quo Thalysia ficta sunt, et carmen suum edidisset et ignominia ista ab aliis poetis affectus iam esset, circa a. 290 a. Chr. (ol. $\frac{122}{123}$) aut paulo post vel etiam antea natus est. quae de Theocrito disserui cum labefactari posse vix credam, etiam hanc computationem, quae bono auctore biographo Apollonii I nitatur, talem esse opinor, quae impugnari nequeat. sed videamus, — ut iam omittam quae ab aliis adhuc de Apollonii aetate prolata sunt — num cetera, quae cognita habemus de Apollonii vita, ea sint, ut et ipsa confirmari possint hac illius aetate inventa, et confirment quem ita inveni terminum.

Callimachi discipulum fuisse Apollonium in eo consentiunt veteres. eum vere usum esse illius institutione non est cur negemus, quamvis talia verba qualia μαθητής γνώριμος σύγχρονος similia saepenumero a biographis usurpentur, ubi tantum quae temporum ratio intercedat inter viros duos significare studeant.[15]) attamen in Apollonio ita statui opus non est, quippe quem viginti aut pluribus annis minorem Callimacho sciamus ipsumque illis studiis deditissimum fuisse, quibus Cyrenaeus poeta imprimis excellebat, arti poeticae et grammaticae. quamquam hac de disciplina ipsa nihil fere memoriae traditum est, ut semper in ambiguo sit futurum, quot annos Apollonius ab illo institutus, quibus in artibus instructus sit, quos habuerit institutionis sodales.[16]) id autem scimus, quas crearat leges atque normas in arte

---

[15]) Cf. Hempelium l. l. pg. 13; Couatium l. l. pg. 29. cf. etiam quae de verbi γνωρίζεσθαι apud Eusebium usu recte monet Doppius (Quaest. de Marmore Pario, diss. Rostoch. 1883. pg. 32).

[16]) Eratosthenes, quem esse natum ol. 126 Suidas est auctor, propter magnam annorum differentiam una cum Apollonio Callimachum audisse non potest. Hermippi et Istri (τῶν Καλλιμαχείων) aetas certius definiri nequit.

poetica adhibendas Callimachus,[17]) eas ab Apollonio non esse probatas, sed sua ipsius via eum esse progressum conatumque carmina fingere. Callimachus enim quique ab eius partibus stabant aequales cum aetatis suae ingenium ad carmina Homerica i. e. permagna facienda non iam inclinare arbitrarentur, poeticam non tam in argumento, quam in forma, i. e. in expoliendo in presse dicendo in argutiis cumulandis in adhibendis omnibus eis rebus quae ad grammaticam magis quam ad poeticam pertinerent, esse positam vel ponendam censuerunt. sed Apollonius, qui in artis legum angustiis, quas edixerat Callimachus, manere nollet, ipse ultra studuit atque opera admiratus est, quae ab arte Alexandrina abhorrrebant. Weicherto videtur assentiendum, qui (l. l. pg. 64) inimicitias ipsas iam esse exortas suspicatur, dum Apollonius scholis Cyrenaei interfuerit. discidium vero ipsum factum est, cum Apollonius vixdum adulescens factus carmen istud ingens ederet, quod magistrum quasi irrisionem sui ipsius legumque, quas ipse collocaverat atque sequebatur, duxisse constat. non iam opus est omnia quae ad rixam hanc famosam pertinent iterum tractare atque quaestionem illam controversam, utrum Callimachus an Apollonius simultatum causam atque incrementum dederit, redintegrare, quoniam tot hominum doctorum cura operaque omnes veterum qui huc spectant loci et collecti sunt et examinati.[18]) rixa haec tam gravis atque atrox facta est, ut in duas partes discederent qui Alexandreae tum in litteris aliquid valebant: hi Callimacho assensi sunt, illi Apollonio etsi adulescenti applauserunt commoti aut studio vero poeticae aut odio Cyrenaei, quem multos Alexandreae habuisse adversarios credibile est. hinc acerbitas ista, hinc ira atque furor vel taeterrimus, hinc Theocriti illi versus, quibus ad Apollonium respici supra exposui, hinc carmen istud sordidum Ibidis, hinc Apollonii epigramma seu potius epigrammatis fragmentum (Anthol. Palat. XI. 275) Καλλίμαχος τὸ κάθαρμα, τὸ παίγνιον, ὁ ξυλινὸς νοῦς αἴτιος· ὁ γράψας Αἴτια Καλλίμαχος,[19]) hinc pudor ignominiaque Apollonii, hinc denique eius

---

[17]) Cf. Bernhardium (Gr. Litt.-Gesch. II. 1. 303).

[18]) Inter omnes optime egit Bernhardius (Gr. Litter.-Gesch. II. 1. pg. 301 sqq.), qui res, ut vere se habent, interpretatus est. Weichertus (Leben und Gedicht des Apoll. v. Rh.) cum nimia Apollonii admiratione obcaecatus sit, imaginem Callimachi falsam proposuit; Linckius (De Callim. vit. et scriptis) eodem vitio obstrictus est, cum et in permultis graviter erraverit et totus a Callimachi stet partibus. Couatius (l. l. pg. 491—514) novi nihil affert.

[19]) At vide Bernhardium l. l. pg. 303, qui Apollonio hoc epigramma esse abiudicandum censuit. cf. etiam Ioann. Michaelis., De fragmentis Apollonii Rhodii, diss. Hal. 1875. pg. 2 sqq.

fuga. omnia quae huc pertinent cum notissima sint, sufficiat ea commemorasse.[20])

Hucusque consentiunt biographi, qui etiam id habent commune, ut quae partes ipsius Callimachi in rixa fuerint ne uno quidem verbo indicent. iure contendas, nisi praeter biographos quaedam forte memoriae tradita essent, fortasse nos ignoraturos esse sub verbis biographi I οἱ ἄλλοι ποιηταί praecipue Callimachum esse intellegendum. neque tamen dubitare licet, quin inimicitiae vel atrocissimae inter viros illos duos intercesserint, silentiumque illud, quod de eis versatur, ita explicandum videtur, ut biographus, ipse Alexandrinus, nescio quam ob rem dubitaverit nomen Callimachi commemorare. omnino eum nescivisse, quis omnium quos affert poetarum imprimis Apollonium coegerit, ut Alexandream relinqueret, id credi non potest. quod biographus alter, qui exceptis eis quae aliunde in vitam transtulit totus a priore pendet, tantum verbis in universum dictis his σφόδρα δ᾽ ἀποτυχὼν καὶ ἐρυθριάσας ad simultates illas spectat, mirum iam non videtur, postquam comprobatum est aetate multo posteriore hanc esse factam vel contaminatam vitam. contaminatam eam cum appello, imprimis respicio ad id enuntiatum quod in calce eius exstat. revertisse enim Apollonium Alexandream narrat biographus ibique ab omnibus celebratum atque bibliothecae ipsius munere praeditum atque eodem quo Callimachus

---

[20]) Tamen uberius de loco illo disserendum est, qui legitur in fine hymni i. Apoll. quemque constat adversus Apollonium esse scriptum a Callimacho. cuius de hymni tempore alius aliam adhuc protulit sententiam; quas omnes ne nunc examinem, sed tantum meam sententiam eamque brevissime pronuntiem, factum est, quod commentatione ampliore de tota hac re agere mihi proposui. scriptus est hymnus a. 263 a. Chr., quo sponsalia Euergetae et Berenices Magae filiae celebrata sunt (cf. supra pg. 18). scholiasta quidem verba ἐμῷ βασιλῆι sic interpretatur: τῷ Πτολεμαίῳ τῷ Εὐεργέτῃ· διὰ δὲ τὸ φιλόλογον εἶναι αὐτὸν ὡς θεὸν τιμᾷ. sed Euergetes demum a. 247 (ol. 133. 2) rex factus est, atque exstat locus (v. 68), ubi Callimachus de ἡμετέροισι βασιλεῦσι loquitur, i. e. de Philadelpho et Euergeta. ita sane est intellegendum. atqui Euergetes, non quo ipse rex fuerit illo tempore, ita nominatus est a Callimacho, sed quia regis filius fuit. regem ipsum fuisse Euergetam placuit Heckero (Comm. Call. pg. 17) et Couatio (l. l. pg. 231), qui eam ob rem hymnum in a. 247 ponunt. — Aliam nuperrime interpretationem invenit Koeppius, qui Wiedemannum secutus Euergetam a. 271 a. Chr. (ol. 127. 2) a patre in societatem regni esse acceptum atque ob hanc rem ipsum nominatum regem contendit. quae sententia nullo pacto probari potest. etenim Euergetes numquam consors imperii factus est, aut si factus esset, numquam titulus regis ipse tributus ei esset; rex ipse factus est post mortem patris. neque vero hic est locus totam hanc rem in quaestionem vocandi.

sepulcro sepultum esse. haec de Apollonii exitu narratio quam inepta sit quamque veri dissimilis sagacissime vidit Kaibelius, qui recte me monuit, ne huic testimonio nimiam haberem fidem. nam biographum illum arbitratur vir doctissimus, si ipse fuisset Alexandrinus, non confugiturum ad τινὲς δέ φασιν illa, sed oculis propriis circumspecturum fuisse, num Apollonius vere iuxta Callimachum humatus esset. quod omnium maxime probabile mihi videtur. constat igitur hac etiam re fidem biographi, qui neque Alexandrea ipsa neque tempore quod propius ad Callimachum Apolloniumque accedit vixit, magnam non esse aut certe esse minorem quam biographi prioris.

Id omnino apertum videtur Apollonium, si revertisset, Callimacho etiam vivo reversurum non fuisse. obiit Callimachus olymp. 133. 4, ut supra ostendi; orta est rixa illa circa ol. 127 (qua floruisse Callimachum Suidas testatur), ut Apollonius ad minimum sex olympiades Rhodi fuerit. sed biographus praeter hunc reditum nonnulla narrat quae admodum mira videntur: iterum recitasse Argonautica Apollonium ad summumque laudis gloriaeque fastigium ascendisse. profecto non dubium, quin recensio Argonauticorum altera quae facta est Rhodi fuerit, quae tantam poetae gloriam ex biographi sententia effecit. sed haec Argonautica qualia fuisse existimas? ut taceam de Merkelio, qui totum carmen esse retractatum ad normamque criticam quam tunc Alexandrini adhibuerunt emendatum summa cum industria demonstrare conatus est, — ipse ego aliter de hac ἐπεκδόσει sentio, sed non est locus hanc quaestionem adeundi — tamen haec eius (prlgg. pg. XLV) verba rectissima, quibus se ipse refutasse quodammodo videtur Merkelius, ponam: ‘novisse Callimachi iudicium (scil. quod in epigr. XXVIII exstat) Apollonium certum est, non secutum esse apertum, impugnasse data opera, quae ipse contraria probaret luculento exemplo illustrare voluisse, in eaque re indefesso labore eo usque enisum, quo loco hodie deprehendimus, non improbabile’. itaque cum non multa mutata sunt in Argonauticis [21]), imprimisque Callimachi illud summum μέγα βιβλίον μέγα κακόν nova editione sublatum non est, tum haec quae mutata sunt magis ad formam pertinuerunt quam ad argumentum vel potius ad indolem totius carminis, atque eadem vitia relicta sunt, quae olim tam infense Callimachus

---

[21]) Ne eos quidem locos exstirpavit vel commutavit Apollonius, quibus Callimachum ipsum imitatus est; cf. Merkelium, prlgg. pg. XLVII, qui exempla enumerat. Hartius (Observation. critic. in Apollonium Rh. diss. Berol. 1863. pg. 14 n.), qui nonnulla recte vidit, fallitur, quod ex hymno in Apoll. ipso Apollonium quaedam in Argonautica, i. e. in alteram eorum recensionem recepisse opinatus est.

impugnaverat. iam vero scimus eas opiniones non exolevisse, quae Callimacho ipso vivo valuerunt, amicosque atque successores Callimachi, ut ita dicam, etiam tum superfuisse, qui post magistri ipsius decessum de legibus ab illo constitutis deficere vix ausi sunt, aut si defecerunt, in exiguis tantum ab eo discessere, sententias vero magistri ipsas quasi sacras semper servarunt. quid vero? hisne ipsis viris Apollonius iterum Argonautica proposuisse censendus est? minime, si me audis, biographum in haec devia insequeris. immo, sive rediit Apollonius sive non rediit, non tam Argonauticis quam aliis quibusdam carminibus vel operibus grammaticis tantam gloriam adeptus est, ut munere illo dignus videretur. at biographum si in una ista re non vera tradentem deprehendimus, quid de ceteris omnibus putabimus? itaque ad sententiam illam accedamus, quam mecum olim communicavit Kaibelius quamque unam esse veram ipse persuasum habeo. monuit me vir doctissimus quae in vita altera inde a verbis τινὲς δέ φασι legantur ea omnia a recentiore quodam esse inventa atque eam ob rem suspecta et exstinguenda.

Investigasse etiam mihi videor, qua causa auctor iste, ad quem redit tota haec narratio, perductus sit, ut eam vitae adiungeret. iam memineris oportet quae supra de Apollonii in insula Rhodo commoratione eiusque descriptione et apud biographum I et apud II edidi. prior narrat Apollonium ibi pueros edocuisse (παιδεῦσαι), alter eum ῥητορικοὺς λόγους σοφιστεῦσαι. id ad puerorum praeceptorem eo tempore, quo fuit Apollonius, non quadrare manifestum est, optime dici potuit aetate Tiberii imperatoris vel Antoninorum [22]), qua et rhetorica in scholis quasi singularis sive maxima ars tractabatur et ad rhetores ipsos verbum παιδεύειν relatum est. compilator igitur vitae iste, qui hoc fortassis ipso tempore vixit, cum verba ἐπαίδευσε λαμπρῶς ita intellexerit, ut Apollonium oratorem praeclarum appellari putaret, suo iure miratus est, quod talis homo semper in illa insula manserit neque eam urbem repetierit, in qua sola gloriam veram assequi potuerit, Alexandream. atque si verum est quod suspicatus sum auctorem vitae primo post Chr. saeculo vixisse, apparebit etiam, cur tantopere homines tenebras quibus Apollonii vita obvoluta est discindere studuerint. scimus isto saeculo maiorem fuisse auctoritatem Apollonii, cuius carmen Valerius Flaccus fundamentum operis sui fecerit, quemque Quintilianus (X. 1. 54) ita in iudicium vocaverit, ut eum ‘non contemnendum opus edidisse aequali quadam mediocritate’ dicat. hoc igitur ipso tempore etiam vitae Apollonii ab ingenioso quodam gram-

[22]) Vide exempla quae supra posui; alia permulta exstant apud Suidam.

matico addita esse opinor quae ei necessaria visa sint atque fortasse vel ipsa vera, quae tamen nos ne nimia cum fiducia accipiamus cavendum. nam videamus etiam necesse est, quid de bibliothecae cura, quae auctore biographo ad Apollonium translata est, statuamus. neque enim hoc, quod narrat biographus, ab uno eo traditur, sed exstat etiam Suidae duobus locis (s. v. Ἀπολλώνιος et Ἀριστοφάνης). quae autem esse potest auctoritas illa Suidae, cuius ne fontes quidem redeunt ad veteres ipsos, sed ex libris recentiore aetate scriptis etsi bonis ipsis excerpti sunt? mihi quidem dubium non est, quin haec altera Apollonii vita fundamentum glossae illius brevissimae s. v. Ἀπολλώνιος sit [23]).

Hanc bibliothecae curam immerito Apollonio tributam esse a biographo Kaibelius mihi omnino persuasit. permulta sunt quibus hanc ut statuam sententiam adductus sum, atque qui diligenter legit quae iam disserui de Apollonio ipse idem opinor sentiet atque ego. pretium vitae illius qua una reditus Apollonii narratur quam exiguum sit satis exposuisse mihi videor. attuli etiam causas easque gravissimas, quibus ne hac in re biographo fidem habeamus commovemur. tamen unum addendum videtur. καὶ ταφῆναι σὺν αὐτῷ τῷ Καλλιμάχῳ (sc. τὸν Ἀπολλώνιον) legimus vita exeunte, verba profecto omnium maxime mira (cf. Bernhardium, Gr. Litt.-Gesch. II. 1. pg. 304). haec verba si vere ita intellegenda essent, ut adhuc interpretati sunt viri docti, luculentissime pateret fabulosa narrasse biographum hominemque indoctum ipsum se praebuisse. sed hoc crimine cum liberandus videtur ille, tum impugnanda sententia eorum, qui vel propter haec verba Alexandrinos iniuriam Apollonio olim illatam ipsos auferre studuisse contenderunt — ita Weichertus — vel inventum biographi cuiusdam iocosum eis contineri opinati sunt (cf. Bernhardium l. l.). immo si biographus rixam istam cognitam habuisset, procul dubio eos, qui vivi inimici infestissimi erant, mortuos sepulcro ipso esse consociatos ipse credere non potuit. sed quod supra statui

[23]) Confitendum sane etiam post Daubii libellum qui inscribitur 'De Suidae biographicorum origine et fide', Suppl. annal. philol. XI permulta esse relicta, quae parum distincte observata sint. utrum Hesychius Apollonii vitam e Dionysio Halicarnassensi Minore (τῷ μουσικῷ) an aliunde ceperit, ipse in glossae exiguitate discernere et nolo et nequeo. — praeterea cave premas, quod Apollonium Eratosthenem successisse, Aristophani anteisse commemorat Suidas. tabulam enim bibliothecariorum a grammaticis Alexandrinis esse factam cum nesciamus — quamquam in tanto silentio, quod de bibliotheca eiusque custodibus versatur, exstitisse non videtur, — hunc locum Apollonio esse datum verisimile est, quod ille, qui Eratosthenis aequalis vocetur atque praeterea diu Rhodi fuerit, a n t e eum munus illud aegre administrare potuerit.

hoc loco optime confirmari videtur: biographus ipse nescit quondam intercessisse inter Apollonium Callimachumque tantas simultates atque odium tam immane, ut ne morte quidem ipsa exstincta sint. quare etiam hic locus non cum certamine isto quodammodo est coniungendus, sed ita interpretandus videtur: sepultus est iuxta Callimachum clarissimum illum grammaticum, ut his ipsis laus Apollonii iam ampla etiam augeatur. sic biographus aptum, (ut ipse quidem arbitrabatur) vitae exitum cum adderet, in res per se obscuras difficultates novas intulit. nimirum re vera Alexandreae humatus non est Apollonius, sed vitae supremum diem obiit — quo anno decesserit ad quaestionem meam nil facit — atque sepultus est in ipsa illa insula, ubi hospitaliter receptus et civitate donatus et summo in honore habitus est. atque hac etiam in re est positum, quod tam pauca de Apollonii vita servata nobis sunt eaque vix ultra rixae istius initium atque Apollonii peregrinationem transgrediuntur. nam post fugam memoria etiam hominis tota fere exstincta est.

Haec quae admodum probabilia videntur magis etiam confirmantur, quia ne tempora quidem talia sunt, quorum ex ratione quando bibliothecarius institutus sit Apollonius appareat. Eratosthenis appellatur in bibliotheca administranda successor, quem cum ol. 146. 2 esse mortuum supra comprobaverim ante hunc annum secutus esse Apollonius non potest. sed Apollonius, qui ol. 127 Argonautica ἔτι ἔφηβος scripsit, natus est ol. 122 vel 123. ergo si ipse Eratosthene obeunte vivis etiam interfuit Apollonius, hominem nonagenarium cum esse bibliothecarium designatum a rege, tum tanta senectute oppressum provinciam illam tam difficilem suscepisse ullo modo credi potest? atque cui hoc non suppeditat, quod mea quidem sententia gravissimum ipsum est, is secum reputet annos quibus bibliothecarii fuerunt Eratosthenes et Aristophanes alios omnino esse non posse nisi quos ego constituerim, Aristophanemque statim post Eratosthenis mortem bibliothecae curam suscepisse, ita ut Apollonius, si bibliothecarius fuisset, ante Eratosthenem hunc honorem consecuturus fuerit, id quod factum esse minime potest. hoc etiam commemorandum videtur ne auctoritatem quidem Apollonii Alexandreae umquam fuisse magnam. nam licet multos eum libros scripsisse constet, qui ad diversa litterarum genera respiciunt, tamen omnium librorum, quos nescio an plures ediderit Apollonius quam nobis noti sunt, mentio fit tam rara, ut quasi fons remotior hic Alexandrinus ‘bibliothecarius’ semper habitus videatur. tam pauci existunt loci, quibus ad eum provocant grammatici aut scholiastae (excepto uno Etymologici Magni auctore, cf. Gerhardium, Lect. Apoll. pg. 62 sq.), ut saepius in dubio simus,

utrum librum quendam ad Rhodium an ad Apollonium alium referamus (cf. Michaelisium, De Apoll. Rh. fragm. pg. 52 sqq.). quod tamen in bibliothecario factum esse miremur, quem potius laudatum aut certe saepius commemoratum ut alios bibliothecarios exspectemus[24]).

Sic quam Ritschelius tam ingeniose exstruxerat quamque tamen ipse nisi coniecturis audacissimis comprobare non potuit chronologia labefactata vel prorsus eversa est. Apollonius bibliothecarius non fuit neque potuit esse obstante ipsa temporum ratione[25]).

De Aristophane.

Si mihi concedis vera esse, quae de Eratosthenis a bibliotheca recessu deque Apollonio exposui, successor Eratosthenis nemo fuisse potest nisi Aristophanes, qui a Suida (s. Ἐρατοσθένης) ipse eius vocatur μαθητὴς ἐπίσημος.

Vitam Aristophanis quae exstat apud Suidam lacunis esse dilaceratam aliisque mendis corruptam primus vidit Meinekius, qui in Aristonymi comici vitam aut a Suida ipso aut a librario quodam permulta esse translata quae haud dubie ad Aristophanem pertinent ingeniose observavit. consocianda igitur videntur quae ita secernuntur ex vita Aristonymi cum vita Aristophanis, ut haec existat vitae forma.[1])
Ἀριστοφάνης Βυζάντιος . . . ., γραμματικός, μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου . . ., πρὸς δὲ τούτοις καὶ Διονυσίου τοῦ Ἰάμβου καὶ Εὐφρονίδα τοῦ Κορινθίου ἢ Σικυωνίου. γέγονε δὲ κατὰ τὴν ρμδ´ ὀλυμπιάδα, (vit. Ariston.:) βασιλεύοντος Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου καὶ τοῦ μετ᾽ αὐτὸν Φιλοπάτορος· καὶ προέστη τῆς τοῦ βασιλέως βιβλιοθήκης μετ᾽ Ἀπολλώνιον, ἔτος ἄγων ξβ´. διασκευασθεὶς δ᾽ ὡς

[24]) Liber ille Apollonii maxime memorabilis πρὸς Ζηνόδοτον uno tantum loco in schol. Hom. commemoratur. praeterea bis ad eum alluditur, fortasse tribus etiam locis (cf. Michaelis. l. l. pg. 17 sqq. et Merkelium, prlgg. ad Apoll. pg. LXXI sqq.).

[25]) Praeter eos qui a me adhibiti sunt scriptorum veterum locos alium exstare non puto, quo utaris. nam quod schol. Argon. B 1052 Chares Apollonii γνώριμος vocatur (de illo cf. Weichertum l. l. pg. 135 not. 173 et pg. 391) et Timarchus (Suid. s. v. Ἀπολλώνιος) eius σύγχρονος (incredibilia de eo protulit Meinekius Anal. Alex. pg. 11 n. 1), maioris momenti non est, cum utriusque hominis aetas definiri nequeat.

[1]) Quae ad vitae restitutionem pertinent bene collegit atque examinavit Seemannus l. l. pg. 15 sq.

βουλόμενος πρὸς Εὐμενῆ φυγεῖν, ἐφυλάχθη ἐν εἱρκτῇ χρόνον τινά, ἠφείθη δὲ καὶ ὑπὸ στραγγουρίας τελευτᾷ ἔτη βεβιωκὼς οζ'. συγγράμματα δ' αὐτοῦ πάνυ πολλά. quae omnia videntur sana rectaque exceptis eis quae prima ipsa ex vita Aristonymi sumpta sunt. nam ol. 144 (ρμδ) Philadelphus vivis non iam interfuit, neque ei successit Philopator, sed Euergetes. medelam loco corrupto inferre conatus est Bernhardius, qui verborum contextum ita restituendum censuit: γέγονε δὲ κατὰ τὴν ρμδ' ὀλυμπ., διέτεινε δὲ μέχρι Πτολεμαίου τοῦ Φιλοπάτορος καὶ τοῦ μετ' αὐτὸν βασιλεύοντος. nimis audacter videtur coniectasse vir doctissimus, qui praeter necessariam nominum propriorum commutationem etiam alia quaedam commutaverit. nam merito Seemannum observasse existimo post verba γέγονε κατὰ τὴν ρμδ' ὀλ. non ita pergere potuisse Suidam διέτεινε δὲ μέχρι Πτ. τ. Φ., quippe quae temporum adumbratio ad obitum Aristophanis respiciat eamque ipsam ob rem contradicat eis quae praecedunt. nimirum Philopator eadem olympiade, qua floruisse Aristophanem legimus, rex iam fuit. verbum hoc διατείνειν aliaque similia ut παρατείνειν et διαμένειν quam latam habeant vim adhuc ab nullo, ne a Seemanno quidem, investigatum est, ut operae pretium mihi videatur nonnulla de hac re agere.

Ubicumque his verbis utuntur biographi imprimisque Suidas, non terminus indicatur, usque ad quem vitam homo quidam produxit, sed intellegendum solum est tempus, quo fuit homo ille. itaque ad incertum quoddam temporis spatium respiciunt haec verba maximeque ad regis cuiusdam dominationem,[2]) ut nunc obitus hominis ante terminum indicatum ponendus[3]), nunc decessus anno cuidam ex numero illo incerto adscribendus sit,[4]) nunc hominis mors cum anno ad quem refertur congruat, aut cum rege, ‚usque ad quem vitam pro-

---

[2]) Duo sunt excipienda exempla, Suid. s. Καλλίμαχος et Σιμωνίδης Κεῖος. sed in his olympiades ipsae, μέχρι ὧν παρατετάκασιν, i. e. quibus mortui sunt viri, nominantur a Suida. dubius addo Suid. s. Κῦρος Πανοπολίτης.

[3]) Cf. Suid. s. Παρθένιος· ἐβίω μέχρι Τιβερίου Καίσαρος. quamquam constat compluribus ne dicam multis annis ante Tiberium imperatorem esse mortuum Parthenium, tamen errorem quendam Suidae ut statuamus cum Meinekio (Anal. Alex.) opus non videtur. s. v. Ἐπίκτητος· διατείνας μέχρι Μάρκου Ἀντωνίνου. Epictetus Hadriani aetate obiit.

[4]) Suid. s. Ἐπίκουρος· παρέτεινε ἐπὶ τῶν διαδόχων καὶ Ἀντιγόνου τοῦ Γονατᾶ, qui regnavit a. 278—239 a. Chr. Epicurus obiit a. 270. — s. Ἐρατοσθένης· διέτριψε μέχρι τοῦ πέμπτου (Πτολεμαίου), qui ol. 143. 4 rex factus est. Eratosthenes decessit ol. 146.

duxit) ille, eodem anno vel paulo priore mortuus sit,[5]) nunc ipsum tempus indicetur, quo homo de vita demum decessit rege illo iam mortuo aut re ad quam alluditur perfecta vel praeterita.[6])

Ex hac observatione concludendum mihi videtur vim moriendi his verbis non inesse, sed tam vaga significatione ea adhiberi, ut idem fere explicent atque γέγονεν ἤκμαζεν ἦν alia, de quibus bene egit Rohdius in Mus. Rhen. XXXIII pg. 161 sqq. respiciendum enim est ad exempla huiuscemodi, quae multa leguntur: Suid. s. v. Πλούταρχος· γεγονὼς ἐπὶ τῶν Τραιανοῦ χρόνων καὶ ἔτι πρόσθεν. — s. Τιμαγένης· ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ ἐπί τε αὐτοῦ Πομπηίου καὶ μετ' αὐτὸν ἐπί τε Καίσαρος τοῦ Αὐγούστου καὶ μετέπειτα. — s. Φίλων Βύβλιος· γέγονεν ἐπὶ τῶν χρόνων τῶν ἐγγὺς Νέρωνος καὶ παρέτεινεν εἰς μακρόν. (cf. etiam s. Ἑλλάνικος Μιτυληναῖος, vid. Rohd. l. l. pg. 165). eodem iure quo his locis dixit ἔτι πρός, ἔτι πρόσθεν, εἰς μακρόν, ἐπὶ πολύ etc. scribere potuit ἕως aut μέχρι, ut ipsum exstat s. v. Δικαίαρχος . . καὶ νόμος ἐτέθη ἐν Λακεδαίμονι . . . καὶ τοῦτο ἐκράτησε μέχρι πολλοῦ. cf. etiam s. Ἀσπάσιος Ῥαβενναῖος. — Iam transeo ad alia exempla, quibus haec dicendi ratio etiam melius illustratur. s. v. Ἀπολλώνιος Τυανεύς· ἤκμαζεν ἐπὶ Κλαυδίου τοῦ Γαίου καὶ Νέρωνος καὶ μέχρι Νέρβα, ἐφ' οὗ καὶ μετήλλαξεν. hoc exemplo ἀκμή ipsa μέχρι Νέρβα, usque ad decessum Apollonii ponitur. — s. Παγκράτιος· ἤκμαζεν ἐπὶ τῶν χρόνων Λέοντος τοῦ πρεσβύτου (scrib. πρεσβυτέρου) καὶ ἕως Ζήνωνος. — s. Νικόλαος· ἤκμαζεν ἐπὶ Λέοντος βασιλέως τοῦ πρεσβυτέρου καὶ ἕως Ζήνωνος καὶ Ἀναστασίου. cf. etiam s. Ἀπολινάριος, Δίδυμος, Ἐπαφρόδιτος, Κεκίλιος, Λιβάνιος, Φιλόστρατος. tanta in exemplorum copia cavendum ne verbum διέτεινε (διατείνας) ante μέχρι aut ἕως excidisse arbitremur. nam huius verbi vis paulatim ita mutata est, ut nihil eo indicetur, nisi incertum ipsum tempus, quo vixerit homo, de quo agitur. itaque perinde atque verba ἦν γέγονεν ἤκμασεν, quae apud Suidam biographosque omnes aliam habent vim, quam e sententia ipsa exspectamus, etiam παρατείνειν non solum ad vitae finem significandum, sed universe ad longum vitae spatium circumscribendum adhibetur. alia potestne huic verbo inesse vis, si respicimus ad

---

[5]) Suid. s. Πορφύριος· παρατείνας ἕως Διοκλητιανοῦ τοῦ βασιλέως, qui mortuus est a. 305. Porphyrius occubuit a. 304. — s. Ἀριστείδης· διατείνας μέχρι Κομόδου, qui post Aristidem duos annos vixit. — (Pseudoplut.) vit. Antiphont. (Westermann. biogr. gr. min. pg. 231).

[6]) Suid. s. Ἑλλάνικος· ἐξέτεινε δὲ καὶ μέχρι τῶν Περδίκκου χρόνων. Perdiccas alter rex Macedonum usque ad a. 413 a. Chr. regnavit, quem Hellanicus, cuius mors nescio an a. 410 ponenda sit, tribus annis superavit.

exempla talia, qualia sunt haec: Suid. s. v. Διονύσιος Ἀλεξανδρεύς· ὁ Γλαύκου υἱός, γραμματικός, ὅς ἀπὸ Νέρωνος συνῆν καὶ τοῖς μέχρι Τραιανοῦ.[7]) porro quod Nicolaus ἕως Ζήνωνος καὶ Ἀναστασίου vitam παρατετακέναι vocatur, num his verbis ipsa mors hominis describitur? decessitne Nicolaus et Zenone rege et Anastasio? si mortem indicare voluisset Suidas, cur non dixit ἤκμαζεν ἐπὶ Λέοντος καὶ ἕως Ἀναστασίου? (cf. etiam Suid. s. v. Ὠριγένης). iam exemplum ponendum est, quod legitur s. v. Ἡρακλείδης Ποντικός· εἰς Ῥώμην κομίσας καὶ τοῦ Ἄπερος καταφανεὶς κατέμεινε σχολαρχῶν ἐν αὐτῇ ἐπὶ Κλαυδίου καὶ Νέρωνος, ubi non dubium, quin ἐπὶ vocula pro μέχρι, quod similibus locis semper legitur, non errore Suidae vel librarii cuiusdam scripta sit, sed quia hac in verborum coniunctione ex Suidae sententia idem significent ἐπί et μέχρι.[8]) hoc exemplo luce clarius apparet καταμένειν διατείνειν παρατείνειν verba non habere eam vim, quam adhuc crediderunt viri docti. quod Rohdius (pg. 165) ad exemplum hoc spectans: Ἀριστοκλῆς Περγαμηνός· γεγονὼς ἐπί τε Τραιανοῦ καὶ Ἀδριανοῦ — scribit: 'kein Vernuenftiger wird an das Geburtsjahr des Autors denken koennen', id aptissime ad hanc rem quadrat. hanc igitur propono sententiam meam: Suidas, qui haec verba ita usurpat ut et διέτεινεν ipsum omittat, et non unum, sed complures commemoret reges, ad quos aetatem extenderit homo quidam, et pro μέχρι ponat ἐπί (quod coniunctum esse mallemus cum ἤκμαζεν vel γέγονεν vel ἦν), hac in re non minus caute accipiendus atque interpretandus est, quam in illis verbis, quorum vim bene enucleavit Rohdius.[9])

---

7) Rohdius l. l. pg. 165 n. 1 scribendum censet ὅς ἀπὸ Νέρωνος ἦν καὶ συνῆν τοῖς μέχρι Τραιανοῦ (sc. παιδεύσασι). sed sana videntur quae leguntur neque παιδεύσασιν, sed χρόνοις supplendum.

8) Cf. etiam Suid. s. v. Ἐπίκουρος· παρέτεινεν ἐπὶ τῶν διαδόχων καὶ Ἀντιγόνου τοῦ Γονατᾶ.

9) Commemorandum videtur Suidam ipsum verborum ἐπικρατεῖν et διαμένειν eandem vim statuisse. cf. s. v. Σερούχ· καὶ τοῦτο (sc. ἡ εἰδωλολατρία) ἐπεκράτησε μέχρι τῶν χρόνων Θάρρα τοῦ πατρὸς Ἀβραάμ. haec quae exscripsit ex Ioanne Antiocheno paulo post ita commutata repetit ἐντεῦθεν εἰσήχθη ἡ πολυθεΐα καὶ ἡ εἰδωλολατρία· τοῦτο δὲ διέμεινε παρ' αὐτοῖς μέχρι τῶν χρόνων Θάρρα κτλ. —

Quam vaga sit vis verborum παρατείνειν et sim. optime demonstratur vitis Isaei oratoris. Dionysius Hal. narrat ita (Westerm. biogr. pg. 260): ἤκμασε δὲ μετὰ τὸν Πελοποννησιακὸν πόλεμον, ὡς ἐκ λόγων

Ut nunc ad emendationem Bernhardii redeam, a Suidae ratione eam contendo esse alienam. melius scribi potest γέγονε κατὰ τὴν ρμδ΄ ὀλυμπ. καὶ μέχρι τοῦ Φιλοπάτορος καὶ τοῦ μετ᾽ αὐτὸν βασιλεύοντος. atqui ne sic quidem sanus videtur locus, cum ita nobis scribentibus ea difficultas non tollatur, quae posita est in ea re, quod Philopator ol. 143. 4 rex iam factus est, id quod cum verbis γέγονε δέ κτλ. non consentit vel potius prorsus idem est sola forma mutata. quare ita ego reconcinnandum esse hunc locum arbitror: γέγονε δὲ κατὰ τὴν ρμδ΄ ὀλυμπιάδα, βασιλεύοντος Πτολεμαίου τοῦ Ἐπιφανοῦς, καὶ ἕως τοῦ μετ᾽ αὐτὸν τοῦ Φιλομήτορος. quod praeter olympiadem ipsam etiam nomen regis commemoretur a Suida non mirabere, si persaepe ita dici ab eo reputaveris. cf. s. v. Ἀλκμᾶν· ἦν δ᾽ ἐπὶ τῆς κζ΄ ὀλυμπιάδος, βασιλεύοντος Λυδῶν Ἄρδυος τοῦ Ἀλυάττου.

De adulescentia Aristophanis plura cum iam explanaverim, ubi de Zenodoto egi, nunc breviter tantum ea repetam. fuit Aristophanes etiam puer, dum Callimacho relicto sive mortuo Zenodoto in disciplinam se dedit. itaque natus est duodecim fortasse ante Callimachi obitum annis, i. e. ol. 130. 4.

Apollonii in bibliotheca administranda successor vocatur Aristophanes a Suida. at Apollonium bibliothecarium ipsum non fuisse cum pro explorato habeam, optime bibliothecariorum series ita constitui posse videtur, ut statim post Eratosthenis magistri mortem bibliothecae cura a rege Aristophani commissa sit. atque Eratosthenes mortem sibi conscivit ol. 146 anno secundo, quo bibliothecae praepositus est Aristophanes. talis rerum conexus esse mihi videtur, praesertim cum sexaginta duos (ξβ΄) annos [10]) habuisse Aristophanem eo tempore a Suida commemoretur.

αὐτοῦ τεκμαίρομαι, καὶ μέχρι τῆς Φιλίππου δυναστείας παρεξέτεινε· γενέσεως δὲ καὶ τελευτῆς τοῦ ῥήτορος ἀκριβῆ χρόνον εἰπεῖν οὐκ ἔχω κτλ. a Pseudoplutarcho (West. pg. 260) haec ita mutata sunt: ἤκμασε δὲ μετὰ τὸν Πελ. πόλεμον, ὡς ἔστι τεκμήρασθαι ἐκ λόγων αὐτοῦ, καὶ μέχρι τῆς Φιλίππου ἀρχῆς παρέτεινεν. gravissimum vero est, quod apud biogr. anonymum (Westerm. pg. 261) haec leguntur: ἤκμασε δὲ μετὰ τὸν Πελ. πόλ. καὶ ἐπεβίω μέχρι τῆς Φιλίππου ἀρχῆς, ὥς φησι Διονύσιος ὁ Ἁλικ. ὁ κριτικός. itaque quamvis Dionysius ipse tempus illud se nescire fateatur, verbo ἐπιβιοῦν utitur biographus, quem hanc ob rem illis verbis ad Isaei vitae finem ipsum non respexisse opinor, sed tantum aetatem eius quodammodo adumbrare voluisse.

10) Al. cdd. ξδ΄.

Omnia bona mihi videntur quae adhuc inveni tamque arte coniuncta, ut ne una quidem e rebus comprobatis carere possimus. obiit Callimachus ol. 133. 4, ante quem terminum ad minimum duodecim annos vixerat Aristophanes, qui cum post Eratosthenem bibliothecarius factus sit, ante ol. 146. 2 autem fieri non potuerit, quia hoc ipso anno aetatem suam ad annos sexaginta duos produxerat, nullo alio tempore nisi anno Eratosthenis letali hoc munus adeptus est. nam si ab ol. 146. 2 sexaginta duos annos retro computamus, natus est Aristophanes ol. 130. 4, id quod alia commotus causa iam supra comprobavi.

Restat, ut quando a bibliotheca aut morte aut quavis alia re recesserit Aristophanes investigetur. Suidas narrat haec: διασκευασθεὶς ὡς βουλόμενος πρὸς Εὐμενῆ φυγεῖν ἐφυλάχθη ἐν εἱρκτῇ χρόνον τινά, ἠφείθη δὲ καὶ ὑπὸ στραγγουρίας τελευτᾷ ἔτη βεβιωκὼς οζ΄, quibus patet ob quaslibet res Aristophanem, cum aut pericula sibi impenderent aut rerum status nimis concuteretur (cf. Seemannum l. l. pg. 18, cui omnino assentitur Couatius l. l. pg. 52 sq.), ibi iam manere noluisse et ad Eumenem fugisse regem Pergami. ergo decessit Aristophanes, quem esse natum ol. 130. 4 supra demonstravi, septuaginta septem annos natus, i. e. ol. 150. 1. usque ad obitum bibliothecarius non fuit, sed paulo ante bibliothecae curam ipse deposuerat.[11]) quaenam fuerit causa, cur Alexandream tamquam fugitivus reliquerit Aristophanes, enucleari vix potest, cum etiam quae Seemannus sagaciter investigavit et dubia ipsa sint neque — quod gravius est — ex temporum ratione vera haberi possint. itaque tantum pauca ipse ponam.

Rex fuit illo tempore Aegypti Epiphanes, homo libidinibus ita deditus tantaque crudelitate, ut boni omnes eius essent inimici. eo immanitatis progressus iste est, ut cum amicos tum Aristomenem Acarnanum, quem Romani instituerant, ut pueri regii esset tutor (cf. Justin. XXXI 1; Polyb. XV 31. 6 sqq. ed. Hultsch.), interimeret (cf. Plutarch. de adul. et am. discr. 32). his in omnium bonorum periculis etiam Aristophani insidias esse comparatas a rege nescio an suspicandum sit. fugit Aristophanes, corripitur, datur in custodiam, summum capiti eius imminet periculum. tamen liberatur ex vinculis, aut a rege ipso, aut, quod aptius est, post eius mortem a regina Cleo-

---

[11]) Ita ut statuam, non sum adductus eis, quae Maur. Schmidtius (Philol. VII pg. 367) disseruit. miratur enim v. d., quod Suidas in Aristophanis et Aristarchi vitis describendis utatur praesenti τελευτᾷ, de aliis semper aoristo ἐτελεύτησε loquatur. ‘es liegt nahe, dass der Tod beider ziemlich rasch auf das letztwichtigste Ereignis ihres Lebens, die Flucht nach Cypern und den mit Gefangenschaft endenden Fluchtversuch zu Eumenes

patra, quae regnum susceperat. factum est hoc ol. 149 anno quarto, (181 a. Chr.), quo veneno interemtus est Epiphanes.

Hic iam consistam, ne coniecturis nimis indulgeam. at quidquid de exitu Aristophanis statuetur, hoc videtur apertum post dimissionem tempus quoddam eum vixisse. neque tamen diu vixit, cum verisimile sit custodia illa Aristophanem ita esse infirmatum, ut stranguria postea implicatus non haberet eum corporis vigorem, ut vitam suam longius produceret.

De Aristarcho.

Quem habuerit Aristophanes successorem cum Suidas non tradat, recte Ritschelius (opp. I pg. 65) ad discipulum eius celeberrimum respexit, quem vere bibliothecarium fuisse nunc etiam prooemiis istis Tzetzianis comprobatur, quae edidit Keilius. sunt loci in prooemio priore (cf. Ritschel. opp. I pg. 200) ὕστερόν δὲ καὶ ταύτας (scil. τὰς βίβλους) ἁπάσας πολλοὶ ἀνεφάνησαν ὑποφητεύοντες καὶ ἐπεξηγούμενοι . . . . πρότερον δὲ ἦν Ζηνόδοτος Ἐφέσιος, $\overline{ε}$ δὲ ἢ $\overline{δ}$ μετ' αὐτὸν Ἀρίσταρχος; in altero prooemio (pg. 207): (αἱ βίβλοι) χρόνοις τοῦ Φιλαδέλφου παρὰ τοῦ Ζηνοδότου ὠρθώθησαν· μετὰ δὲ Ζηνόδοτον Ἀριστάρχῳ πάλιν ὠρθώθησαν τετάρτῳ ἢ πέμπτῳ ἀπὸ Ζηνοδότου τελοῦντι. his locis optime apparet fuisse bibliothecarium Aristarchum; sed quo tempore fuerit neque Tzetzes pronuntiat neque Suidas neque alii, qui de celeberrimo hoc omnium grammaticorum memoriae aliquid mandaverunt. verbis Tzetzianis ne certiores quidem fimus, num statim post Aristophanem bibliothecarius sit factus Aristarchus. tamen plerisque ita placuit (Ritschelio pg. 65, Seemanno pg. 16, Maur. Schmidtio [Dionys der Thraker, Philol. VII pg. 366 sq.], Couatio pg. 53 sqq.), qui omnes ea opinione fuisse videntur munus hoc gravissimum vacare numquam potuisse. at verisimile non videtur, ut infra demonstrabo, statim post Aristophanem magistrum sane dilectissimum eius ipsius munus suscepisse Aristarchum. certe tempus quoddam intercessit inter bibliothecae curas Aristophanis et Aristarchi. praeterea facile factum esse potest, ut bibliotheca viris ad tale munus idoneis ipsis non inventis vel quamlibet ob causam custode caruerit.[1]) tamen quisnam Aristophani successerit in dubio

folgten'. mira ariolatus est v. d., quem in toto Suida ne unum quidem exemplum inventurum esse arbitror, quo fulciat hanc suam sententiam. ego quidem nullum inveni, at sescenta, quae contrarium ipsum demonstrant.

[1]) Ex grammaticis qui Alexandreae hoc tempore fuerunt, ni fallor, solus Artemidorus ὁ Ψευδοαριστοφάνειος (Suid.) commemoratur, de quo tamen amplius nihil accepimus. omnium sane celeberrimus fuit Aristobulus Iudaeus

esse non potest, cum Aristarchi unius ex hoc tempore habeamus nomen, qui quando magistri locum possederit nunc acrius investigabo.

Suidas s. v. Ἀρίσταρχος· γέγονε κατὰ τὴν ρνϛ´ ὀλυμπιάδα ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Φιλομήτορος, οὗ καὶ τὸν υἱὸν ἐπαίδευσεν. praeterea cum Aristophanis discipulum fuisse tradit inimicitiasque cum Cratete Mallota gessisse.

Mira sunt quae protulit Ritschelius, qui Aristophanem, ‹wenn er ein Lehrer im vollen Sinne des Wortes war›, circiter quinquaginta natum fuisse annos contendit, cum Aristarchus eius in disciplinam se tradiderit; discipulum ipsum annum fere egisse vicesimum. ‹jeder Versuch, das Lebensende des Aristarch nur einigermassen ueber Olymp. $\frac{156}{157}$ hinauszuruecken oder das des Aristophanes bedeutend vor 149 zurueckzusetzen, bringt uns ein unnatuerliches Verhaeltnis von einem blutjungen Schueler oder altersschwachen Meister von 60, 70, selbst 80 Jahren, was doch nicht ohne Not anzunehmen›. argumenta talia si ubique in historia litterarum graecarum describenda adhibeantur, quamnam imaginem rerum exstituram esse arbitrabere?

Haec igitur cum nihil iuvent, ad Suidam est redeundum, qui Aristarchum ol. 156 [2]) floruisse narrat atque Philometoris educasse filium. Philometor, cum obiit pater, sex tantum annos habuit, quindecim annos natus ol. 152. 1 sui iuris factus est, non multo post cum sorore Cleopatra conubium iniit, ex qua illum filium, quem Aristarchus solum instituisse potest, tulit.[3]) ante ol. 153 puer vix natus esse potest, quem Aristarchus ante ol. $\frac{155}{156}$ in disciplinam suam recipere non potuit. hoc si verum est, etiam ἀκμή Aristarchi, quam posuerunt Suidas et Eusebius in ol. 156, nescio an optime explicetur. certe

---

ille philosophus peripateticus, qui ol. 151. 1 ἐγνωρίζετο; cf. Euseb. ed. Schoen. II. pg. 124 (ex chron. pasch.) ὁ Πτολεμαίῳ τῷ Φιλομήτορι ἐξηγήσεις τῆς Μωυσέως γραφῆς ἀνέθηκεν. hunc nonnulli ipsum puerorum regiorum praeceptorem fuisse arbitrati sunt; cf. Klippelium Alex. Mus. pg. 169.

[2]) Cf. etiam Euseb. ed. Schoen. II pg. 126, qui ad ol. 156. 1 adnotat: Ἀρίσταρχος γραμματικὸς ἤκμαζεν.

[3]) Annum natalem pueri, qui memoriae traditus non est, cavendum ne cum Clintono et Seemanno ex interpretatione Justini (XXXVIII. 8) nimis severa certius indicare nobis videamur. ol. 158. 3 Ptolemaeus Physco Philometoris frater cum nuptias cum Cleopatra eius vidua faceret, ‘statim ubi Alexandream ingressus est, fautores pueri trucidari iussit.’ sed verbum p u e r i haudquaquam significat paucos annos habuisse reginae filium. conferendus enim est locus (XXVI. 3), ubi Justinus ipsum Lysimachum (Arsinoes Lysimachique filium), quem sedecim natum fuisse annos ipse

melius est ita statuere quam Ritschelio assentiri, qui hac ipsa olympiade mortuum esse Aristarchum affirmavit.

Pueri huius educatorem fuisse Aristarchum, qui bibliothecae custos iam antea factus est, Suidae verbis manifestum est. tamen in fautorum istorum numero, quos una cum puero regio a Physcone esse trucidatos Iustinus est testis, habendus non videtur Aristarchus, quippe quem sciamus Physconis ipsius olim fuisse magistrum.[4]) cuius de aetate cum nihil compertum habeamus nisi quod Philometore minor natu vocatur (cf. Iustin. XXXIV. 2. 8; Schmidtium, Philol. VII pg. 367), id unum constat post ol. 148. 2, ante ol. 149. 4 natum eum esse. sed paucos annos inter fratres intercessisse existimo, cum iam a. 162 a. Chr. (ol. 154. 3) Physco talem animum habuerit, ut fratri, ubicunque potuit, resisteret et adversarius esset (cf. Polyb. XXXI. 18 ed. Hultsch.). si autem ita fuit, admodum miramur, quod non uterque Epiphanis filius institutione Aristarchi fructus esse feratur. etenim credi nullo modo potest omnium qui tum floruerunt hominum doctorum praeclarissimum ipsum puero, qui regnum accepturus non fuit, magistrum esse destinatum, alium quendam, cuius ne nomen quidem proditum est, regi futuro. itaque Aristarchum etiam Philometoris magistrum vel educatorem fuisse conicio [5]) eumque esse factum olymp. 150, qua pueri prima ipsa institutione imbuti esse possunt ab Aristarcho. Philometor quidem ipse hac Aristarchi disciplina diu usus non est, quoniam ol. 152. 1 rex nominatus est atque in tutelam hominum istorum malorum Lenaei et Eulaei venit (cf. Polyb. XXVIII. 21 Hultsch.). aliter nescio an sit statuendum de Physcone, qui cum ingenio validiore fuisse videtur quam frater, tum studiis philologicis ipse deditissimus fuit.[6]) hunc litterarum amorem, quem fuisse in Physcone negare non possumus, merito ad Aristarchi magistri institutionem referre mihi videor, quam regis filio non modo puero, sed etiam adulescenti obtigisse admodum probabile est. atque hoc si

---

dicit, puerum vocat. optime demonstratur hoc loco Justinum, si illud verbum usurpet, non ad hominum aetatem respicere, sed ei solam vim filii attribuere.

[4]) Cf. Athen. II pg. 71 b: Πτολεμαῖος ὁ Εὐεργέτης, βασιλεὺς Αἰγύπτου, εἷς ὢν τῶν Ἀριστάρχου τοῦ γραμματικοῦ μαθητῶν.

[5]) Idem ipse Ritschelius suspicatus est. sed miror, quod vir doctissimus Aristarchum Philometoris magistrum ab ipso Suida esse appellatum confitetur.

[6]) Cf. Plutarch. de amic. et adul. discr. 17: οὕτως δὲ καὶ Πτολεμαίῳ φιλομαθεῖν δοκοῦντι, περὶ γλώσσης καὶ στιχιδίου καὶ ἱστορίας μαχόμενοι, περὶ μέσων νυκτῶν ἀπέτεινον. cf. etiam Couatium l. l. p. 26.

verum est, credere equidem non possum inter fautores illos, quos interfici iussit Physco, fuisse etiam Aristarchum.

Hoc iam dubium non est neque magis intricatum videtur esse tempus, quo bibliothecae cura ad Aristarchum translata sit. Philometorem enim ipsum, postquam rex factus est, ut gratum quem haberet in magistrum animum ostenderet, bibliothecarium eum instituisse arbitror. idcirco ab hac olympiade, sive ut annum ipsum ponam, ab ol. 152. 1 librorum custos fuit Aristarchus. quot annos eo tempore egerit facile videtur inventu, cum ille, cui pueri regii in disciplinam dati sunt, nimis iuvenis fuisse nequeat. propterea Aristarchum circiter ol. 141 esse natum statuo, ut per satis longum tempus Aristophanis discipulus fuisse possit. diuturna enim viros hos celeberrimos familiaritate ac consuetudine coniunctos fuisse Seemanno libenter concedo, quamvis quae profert argumenta nulla sint.

Hac sola via, quam ipse ingressus sum, annus Aristarchi natalis inveniri potest. aliter Maur. Schmidtius eius aetatem definire conatus est, qui Dionysii Thracis, quem Aristarchi μαθητήν [7]) appellat Suidas, vitam certioribus terminis circumscripsit (Dionys der Thraker, in Philol. VII pg. 361 sqq.). attamen quamvis et Schmidtius et Seemannus, qui tempora Apollodori Ἀριστάρχου μαθητοῦ investigare studuit, eundem fere invenerint annum Aristarchi natalem atque ego, ratio qua usi sunt viri docti comprobanda non est. omnia enim, quae ille de Dionysio eiusque discipulo Tyrannione eruisse sibi videtur, hic de Apollodoro eiusque magistro Panaetio, maxime sunt ambigua aut certe talia, ut huic quaestioni adhiberi non possint. coniecturis scilicet vel eis maxime ingeniosis tali in aetatis descriptione omnino

---

7) Quam vaga sit vis verborum μαθητής similiumque supra commemoravi. nunc addendum imprimis Aristarchi nominari a Suida μαθητάς, qui ex temporum ratione discipuli eius fuisse numquam possint. cf. Suid. s. v. Δημήτριος Ἰξίων, quem γεγονέναι κατὰ τοὺς Αὐγούστου χρόνους Suidas ait atque ἀντηρίσαι τῷ διδασκάλῳ Ἀριστάρχῳ. — Ἡρακλείδης Ποντικὸς ἤκουσεν Ἄπερος τοῦ Ἀριστάρχου μαθητοῦ εὐδοκιμοῦντος κατὰ τὴν Ῥώμην. Aper hic circa Christum natum vixisse videtur. — Obscura sunt tempora horum hominum, quos cum Aristarcho coniungit Suidas: Μόσχος· Ἀριστάρχου γνώριμος. — Δικαίαρχος· ἀκροατὴς Ἀριστάρχου. — Πτολεμαῖος Ἀλεξανδρεύς· μαθητὴς Ἀριστάρχου. atque idem statuendum est de Ammonio (cf. schol. Il. K 397: Ἀμμώνιος ὁ Ἀριστάρχειος, ὁ διαδεξάμενος τὴν σχολήν.) et de Satyro (Phot. 157: Σάτυρος ὁ Ἀριστάρχου γνώριμος ζῆτα ἐκαλεῖτο διὰ τὸ ζητητικὸν αὐτοῦ.). Blauii commentatio de Aristarchi discipulis (diss. Jenens. 1883) praesto mihi non fuit.

abstinendum est. contenti proinde simus eis quae de Aristarcho ipso tradita sunt neque nobis plura investiganda proponamus, quam investigari possunt.

Iam in eo est, ut quae de Aristarchi vitae exitu servata sunt aut a vv. dd. inquisita ea breviter enarrem. Suidas haec tradit: τελευτᾷ δ' ἐν Κύπρῳ ἑαυτὸν ὑπεξαγαγὼν ἐνδείᾳ τροφῆς, νόσῳ τῇ ὕδρωπι ληφθείς. ἔτη δ' αὐτοῦ τῆς ζωῆς οβ' (LXXII). si natus est Aristarchus ol. 141, septuaginta duos annos natum ol. 159 occubuisse eum necesse est. quod etiam, si temporum quae tum fuit rationem inspicis, valde probabile videbitur (cf. Seemannum pg. 17 sq., Couatium pg. 54). etenim ol. 158. 3 cum vita excessisset Philometor, cum matre sororibusque solus relictus est idem ille, cuius magister fuisse Aristarchus fertur. Ptolemaeus Physco Philometoris frater hanc sibi occasionem esse oblatam censuit, ut totum imperium in potestatem suam redigeret. nuptiae destinantur inter Physconem et Cleopatram sororem fratris nunc mortui viduam, statim ipse Alexandream proficiscitur. vix tamen in urbem ipsam ingressus est, cum 'fautores pueri trucidari iussit'. Aristarchus quin hac in omnium bonorum strage ipse incolumis fuerit non est dubium, ac ne a bibliotheca quidem eum remotum esse contendendum est. sed rex cum non desineret in omnes quos suspectos habuit crudelitate acerbissima saevire, tantum effecit metum odiumque sui ipsius, ut nemo fere in urbe remanere vellet. quare hoc etiam tempore Aristarchum, cum se ab omnibus amicis destitutum (cf. Athen. IV pg. 194) in tanta regni ruina videret, munus suum deposuisse Seemanno assentior Cyprumque se contulisse, ubi ad vitae finem tranquille victurum se esse nescio an speraverit. quamdiu Aristarchus in ea insula commoratus fuerit non accepimus, sed non desunt, qui non multo post fugam ipsam eum occubuisse affirment. quod mihi etiam vel maxime placet, quia Aristarchus, qui sane eo tempore diu vixerat, negotiis solitis studiisque abreptus non habuisse eum animi corporisque vigorem existimandus est, quo res arduae facile feruntur. idcirco ubi primum morbum illum gravem appropinquantem sensit, e vita cedere non dubitavit. obitum vero ipsum in ol. 159 esse collocandum cum iam sententiam meam proposuerim, quaestionibus his eo ipso explorato finem impositurus essem, nisi breviter esset redeundum ad Tzetzam.

Tzetzes in prooemiis illis Aristarchum nominat quartum vel quintum post Zenodotum bibliothecarium. si homo, quem saepenumero admodum ineptiisse constat, quem tamen in his prooemiis permulta bene apteque tradentem deprehendimus, ita apud auctorem suum legit,

quid iam de bibliothecariorum qui adhuc tenetur numero iudicabitur? mihi quidem illis verbis id videtur apertum cum Callimachum sine dubio bibliothecae custodem non fuisse, tum de Apollonio etiam dubitatum esse. nam in numeris Tzetzam eo vacillasse persuasum habeo, quod apud alios auctores de bibliothecario Apollonio nihil legerit, apud alios fabulosam illam narrationem iam invenerit. neque etiam mirandum, quod tam obiter de hac re locutus sit Tzetza, quem memineris oportet historiam bibliothecae prooemiis illis scribere noluisse. sed utut de hac re iudicabitur, ambiguum esse non potest, quin non sex fuerint bibliothecarii, sed duobus illis Callimacho et Apollonio a custodum numero segregatis tantum quattuor restent, quorum rationes temporum quomodo ex inquisitione mea exstiterint in conspectu nunc ponam.

c. ol. 116. Zenodotus nascitur.
(ol. $\frac{117}{118}$ Callimachus n.)
(ol. 119. 4 Aratus n.)
(ol. $\frac{122}{123}$ Apollonius n.)
ol. $\frac{125}{126}$ Zenodotus bibliothecarius.
ol. 126. 1 Eratosthenes nascitur.
(ol. 126. 3 Theocriti Arati aliorum convictus Coensis.)
(ol. 126. 3 vel 4 Theocritus venit Alexandriam, scribit idyll. XVII.)
(ol. 127. 1 Argonautica eduntur. Theocr. id. VII. Callimachi ἀκμή. Apollonii emigratio.)
ol. $\frac{130}{131}$ Eratosthenes Alexandream venit.
ol. 130. 4 Aristophanes nascitur.
(ol. 133. 4 Callimachus obit.)
c. ol. 136 Zenodotus obit.
— Eratosthenes bibliothecarius.
ol. 141. Aristarchus nascitur.
ol. 146. 2 Eratosthenes obit.
ol. 146. 2 Aristophanes bibliothecarius.
ol. 150. 1 Aristophanes obit.
ol. 152. (152. 1 ?) Aristarchus bibliothecarius.
ol. 159. Aristarchus Cyprum fugit. obit.

Vita scriptoris.

Natus sum Guilelmus Busch die XXVI m. Julii a. h. s. LXI. Suerini. primis eruditionis elementis postquam in ludo elementario urbano imbutus sum, gymnasium urbis patriae Fridericianum frequentare coepi. post octo annos et dimidium cum maturitatis testimonium adeptus essem, auctumno a. h. s. LXXIX Academiam petii Lipsiensem ut studiis philologicis et historicis operam darem. scholis interfui virorum doctissimorum Baurii Biedermanni Brandesii Curtii Drobischii Frickii Heinzii Hermanni Hirzelii Langii Lipsii Masii Voigtii.

Anno peracto Berolinum transmigravi, ubi usus sum praeceptoribus illustrissimis Curtio Droyseno Kieperto Kirchhoffio Kosero Lotzio Paulseno Scheerero Schmidtio Seeckio de Treitschke Vahleno Wattenbachio Zellero. contigit mihi etiam, ut societatis philologicae quam regit vir amplissimus Huebnerus sodalis fierem.

Berolinum post duo semestria reliqui adiique Academiam patriae Rostochiensem, cuius per tria semestria fui civis academicus. scholas audivi virorum clarissimorum Bechsteini Fritzschii Kaibelii Koerti Schirrmacheri de Stein seminariorumque historici per tria semestria, philologici per duo sodalis fui.

Iam nunc Roenkendorfii in vico Pommeraniae versor, ubi munus pueros privatim instituendi in me suscepi.